



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXXVII. De Muliere in Sede Romana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXXVII.

DE

*Muliere in Sede Romana.*

**T**Yria maria concitata sunt in hac Controrvesia, quæ potissimum sæculo decimo sexto à factiosis excitata, magno quidem partium studio aliquamdiu agitata, tandem ævo nostro usque adeo extenuata fuit; ut res in judicatum nunc transiisse videatur; dicique possit, quod Statius *Epithal. Stel. sive Sylvia 2. 29.* scripsit. *Consumta est fabula vulgi.* De quo autem fuit controversum est illud. An sæculo nono jam median- te, post defunctum Romanum Pontificem Leonem IV. assumpta fuerit mulier quædam, sexum mentita virilem, quæ Joannes, juxta numerandi Ordinem, Octavus nuncupari voluit, ac Sedem Romanam ultra biennium tenendo pro Papa sese gesserit, donec pudente sexu manifestatus fuerit. Liceat hic subjungere illud Ciceronis *Lib. 2. de Nat. Deor. Hac & dicuntur & creduntur stultissimo & plena sunt futilitatis summaque levitatis.* Imo non defuerunt, qui narrationem illam tanquam veram historiam, opus antiquum & omnium fama celebratum palam ostentare & venditare non dubitaverint: atque longius, audaciusque excurrentes, ut Flor. Ræmundus *Fab. Joann. Papis. cap. 3.*

loquitur, de natali illius solo, de Pontificatu administrato, de mortis genere, tanquam de re omnium certissima & antiquissima prolixius tractarent. Nihilominus eadem narratiuncula, variis decursu temporis vestita malè confarcinatis centonibus, multis risum, aliis stomachum cievit; demum fulgure veritatis vibrata in fumum abiit. Quamquam in ipsa etiam fuligine mirè adhuc sibi complacent, qui fumos vendere solent. Inter primos carinam hanc moverunt Centuriatores Magdeburgenses, quos deinde plerique Protestantium in Romanam Sedem minus bene affecti sunt turmatim secuti. Et ne gratis, quod prætenditur, videatur assertum,

Ingenti Scriptorum confecto, confecto- que agmine Atici testes producuntur. Imprimis Radulphus, seu Ranulphus Flaviacensis in suo libro meninit Papissæ. Deinde Marianus Scotus Ordinis S. Benedicti monachus, & teste Trithemio, Historicus insignis, cum fama sanctitatis sepultus, in Chronico suo, quod sæculo undecimo composuit, & ad annum 1083. produxit, scribit *ad Annum 858. Leo Papa obiit Kal. August. successit Johanna mulier Ann. 2.*

no. 2. d. 4. Huic suppar Sigebertus Gemblacensis, ejusdem Instituti monachus, quem Liplius vocat virum doctum; & gratum sui temporis sapientibus extitisse refert Valerius Andr. in *Bibl. Belg.* hujus Papissæ in suo etiam Chronico, quod Parisiis Anno 1513. editum, ad annum 855. mentionem facit. Sæculo duodecimo Otto Frisingensis Episcopus, non minus doctrinâ quàm vitæ sanctimoniâ generisque splendore illustris in suo insigni Chronico, tantoperè à Baronio commendato, mulierem hanc refert. Gothofridus Viterbiensis presbyter, Conradi III. & Friderici I. Secretarius, Henrici IV. Eleemosynarius, qui quadraginta annorum spatio plures Bibliothecas perlustravit, Papiam Joannam suo inseruit Pantheo. Sæculor. Gerhartus Tilberiensis, Henrici II. Angliæ Regis Cognatus, in Libro, cui Titulus, *Orta Imperialia*, dedicato Ottoni IV. Imperatori, Martinus Polonus Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarius Pontificius, ac designatus Archi-Episcopus Gnessensis in celeberrimo Chronico (quod quidem Abbas Ughelli in *Italia Sacra*, itemque Blondellus cuidam ex Ordine Cisterciensi Martino Archi-Episcopo Consentino perperam assignant) ad annum 855. sedisse in Romana Cathedra mulierem narrant. De eadem quoque Pannonius Episcopus Quinque Ecclesiarum.

*Femina Petre tua quondam ausa sedere cathedra*

*Orbi terrarum jura ferenda dedit.*

*Hac compressa quidem multos lacuisset in annos*

*Facta foret parva, nisi manifesta novo.*

Idem perhibet Æneas Sylvius I. postea Pontifex Romanus Pius II. *Dialogo contra Bohemos*, item in *Opere historico*, sexta mundi æt. Platina in *vit. Pontif.* Naucle-

rus *Chron. volum. 2. Generat. 29. S. Antoninus*, Joan. Baptista Mantuanus, Wernerus Relewinck Author *Fasc. temp.* Albertus Cranzius *Metrop. Lib. 2. cap. 2.* hanc rem enarrat verbis. *Joannes Anglicus ex Moguntia mulier, mentita sexum, cum acutissimo ingenio & promptissimâ linguâ doctissime loqueretur; adeo in se convertit omnium animos, ut Pontificatum adipisceretur; uno famulo sexum ejus cognoscente, à quo compressa prægnans efficitur: & fertur peperisse apud Colosseum anno secundo necdum completo; in partu moritur.* Suffragantur variarum Regionum, Provinciarum, Urbium item celebriorum Chronica quamplurima, præter Scriptores 135. quos conglomerat Egbertus Grim, Didasculus Westfalenses; alii addunt alios; ita ut ultra 200. numerentur Authores, sicut Iselinus Basiliensis Professor, in suo Lexico, recentissime edito observat, qui rem gestam asseverent. Primus, qui historiæ veritatem ausus fuit abnegare, dicitur Joannes Aventinus *Hist. Bavar. Lib. 4.* qui obiit Anno 1534. Sed hunc Bellarminus ipsemet in *append. ad Lib. de sum. Pontif. cap. 10.* vocat Authorem parùm fidelem, Baronius severius depexit.

II. Joannes Pontifex Romanus ejus nominis VIII. sua constituit autoritate, ne Romanæ Ecclesiæ privilegia, nisi centum annorum spatio, & præscriptione sæculari valeant tolli, vel infringi; sicut legere est C. Nemo 16. *quest. 3.* sub nomine Joannis ad Ludovicum Imperatorem. Non poterit autem alius Joannes Papa assignari, qui tempore Ludovici vixerit, nisi illa Papissa; quæ hujus Constitutionis tempore vixit: immeritò itaque extitisse negatur; Actiones enim sunt suppositorum.

III. Ipsa Statua Papissæ Romæ visitur à S. P. Q. R. in facti hujus perennem memoriam erecta; mulier scilicet tutulata puerum in ulnis gestans. Hujusmodi etiam simulach-

rum

rum marmoreum Senis in templo majori inter Romanorum Pontificum Statuas non ita pridem exstitisse, plures fide digni in suis perhibent Itinerariis. Eandem Statuam inibi visam tam Floremondus, quam Baronijs ultro concedunt. Item Bononiæ in area prope templum primarium S. Petri Apostoli, inter alias Pontificum imagines positas sese vidisse Joannem Papißam meminit Burnetus Anglus in *Itinerario*. Quin & ipsa sedes porphyretica perforata, in præcautionem iterandi erroris, ad sexum deinde explorandum confecta, in porticu Lateranensis Palatii firmata factum satis superque evincere videtur, &c.

Multi interim viri, eruditione insignes & circumspecti, quibus veritas est cordi, ab eo tempore rati hunc rumorem, aut qualemcunque traditionem, non populari, sed artificiali staterâ criticâ examinandam, eandem ex professo tractandam susceperunt narrationem. Hi sunt Onuphrius Panvinus, Flor. Remundus, hujusque filius, Baronijs, Bellarminus, Nicol. Serarius, Schererus, Laurent. Albertus, Cotonijs, Papyr. Masolinius, Philipp. Labbeus, Leo Allatius, Joannes Stelenus, Sylvester de Laval Capacinus Gallus &c. qui omnes fateri debent, hic verè dici posse quod legitur apud Apul. 1. *mill. Nihil hac fabula fabulosius, nihil isto mendacio absurdius*; prout etiam Lector, præjudiciis destitutus, utique agnoscat ex sequentibus.

I. Suo sese mucrone confodit chymara, ut supervacaneum videri posset alia nonnulla in ejus jugulum tendere tela. Figmenta, in ipsa, undique diffluente, narrationis serie, tam ineptè sunt compacta, tamque imperitè contexta, ut nulla ex parte neque veritati, neque sibi invicem quadrent, ac proinde nullam tolerabilis mendacii speciem præferre valeant. *Quæ decipiunt nihil habent solidi; tenue est mendacium; pertucet, si diligenter inspexeris* ait Seneca *Epist. 79. Ri-*

dendi dicaculi, seu, ut lepidè vocantur, nugicanoricepæ; ex otiosorum hominum circulis, aut tumusculis studiosè collecta producentes de muliere, in Romana Sede cubante, tam rudia; quod nequidem ista verisimiliter potuerint fingere; quod ipsum in simili Apulejus quibusdam oggerit in *Apulo*. Vix duos reperies inter omnes, qui de nomine, patria, tempore, persona complice, annis Pontificatus, loco, aliisvè circumstantiis omnino conveniant; adeo, ut minus, quam Babylonica turris structores sese intelligant.

Quoad nomen, dicunt, Jutam, Agnetem, Gilbertam, Margaretham, Idam &c. fuisse appellatam, in Anglia natam, in Germania, Moguntia quidem genitam ex honesta parentela, ex sacrificulo & scorto, Anglicam dictam, à quodam Anglo monacho Fuldensi, suo Amasio, sunt, qui eam monachum Fuldensem fuisse asserant, inficiantibus alijs, qui à teneris annis in Academia Atheniensi Græcis illam litteris operam dedisse exploratum dicunt. Ast è Germania, emenso studiorum curriculo, mox Romam tendit; ut doceret (Linguas, Rhetoricam, an Philosophiam seu Theologiam, necdum in comperto est) sibi que famam acquireret, asseverant; quæ diu infœcunda, jam ætate proveccta, à Domus, seu Aula Præfecto, à familiari suo, seu consueto Amasio monacho, Cardinali, ejus sexum cognoscente, impregnata; tempore ordinatio, præmaturè in publica Theophoria, quam intermittere non audebat, imo in solemnî Corporis Christi Processione, quæ nonnisi post aliquot sæcula fuit instituta, in diebus Rogationum, in Aula, ipsoque Solio Papali, inter ipsa sacrorum mysteria, post Missam celebratam, in sacristia, prope portam SS. Petri & Pauli, quæ nullibi extat, inter amphitheatrum Domitiani & Clementis ædem, ad Litanias tendens, dum equitaret, seu portaretur, prope templum pacis, in via publica, coram omni populo

populi, in augusto theatro, & communi  
area peperisset.

*Lucil. apud Ciceron. de orat. 3. 43.*

*Quam lepida lexes, velut ut tessera  
omnes!*

Magna profectò contradictionum lerna.  
Harum affaniarum, vel sola narratio, earun-  
dem debet censerì refutatio, dum Paulus  
Diaconus *Lib. 4. miscellan. cap. 2.* discor-  
diam varietatemque Historicorum mendacii  
notam vocat.

Quod demum partum occultum Diabo-  
lus prodiderit, respondendo è corpore ener-  
gamenti in Chronico Martini Minoritæ cujus  
titulus, *Flores temporum* his versibus expri-  
mitur.

*Papa pater patrum Papissa pandico  
partum*

*Et tibi tunc dicam de corpore quando  
recedam.*

Hoc in aère Diabolum exclamasse  
Angelocrator, verbi minister, in suo narrat  
Chronico. Ast in vetusto Colonienfi Chro-  
nico legitur, quod ab Angelo bono sit par-  
tus ad salutem manifestatus. *Hec mendacio-  
rum natura est, ut coherere non possint.* La-  
ctant. *Lib. 5. divin. Instit. cap. 3.*

In processione puerperam suppressam do-  
loribus volunt Bergomensis & alii quidam;  
in via terra obtutam habetur apud S. Anto-  
nium & Platinam. His obstat, quod in  
templo diruto S. Clementis tunulata dica-  
tur. Quidam fabulantur, quod fœtum fœli-  
citer enixa supervixerit; quæ mox in carce-  
rem Tullianum reclusa, postea in exilium re-  
legata in Insulis perierit. An puer superstes  
manserit, an statim obierit, hucusque in-  
certum; sed neque masculus an fœmella  
fuerit, dignosci potuit. Atque sic recto stat  
fabula talo. Quid in harum narratione sen-  
tire oporteat discendum ex Aristotele *Lib. 5.  
metaph. cap. 3. text. 8.* scribente. *Quid, ut  
est verum, & quod non est ut falsum  
ex conjunctione & disjunctione rerum existit.*

*Totum verò in contradicentium partibus cer-  
nitur. Verum enim in iis rebus, qua conjun-  
cta sunt & copulata affirmationem habet, ne-  
gationem vero in earum separatione: falsum  
autem harum partium habet contraria, qua  
contradicentia revocantur.* Hæc Philoso-  
phus, quamvis aliò referenda.

II. Commentitiam fabulam, ut Tullius  
*de divin. 2. 38.* habet, eludunt, quod fide-  
lissimi Annales temporum illorum, & duo-  
rum subsequentiũ sæculorum, insigniora  
pariter & minuta contineates, rem tam sua  
novitate, quàm magnitudine, præcipuam  
silentio præterierint. Certè Hincmarus  
Archi-Episcopus Rhemensis, Luppus Ab-  
bas Ferrariensis, Ado Viennensis, Adema-  
rus, Milo, Witichindus, Rhegino Prumi-  
ensis, Frodoardus Rhemensis, Herman-  
nus Contractus, Glaber Rudolphus, Geor-  
gius Cedrenus, Adam Bremensis, Berthol-  
dus Constantiensis, Lambertus Schafna-  
burg, Ingulphus Abbas, Wilhelmus Mal-  
mesburiensis, dictus Bibliothecarius, Hen-  
ricus Huntidonenfis, Joannes Zonaras, Hu-  
go Floriacensis, &c. insignes plerique Histo-  
rici & Chronologi; qui vel ex instituto Pon-  
tificum Romanorum seriem conscripserunt,  
vel incisim appositèquè de rebus Romanis  
seu Ecclesiasticis tractârunt; sic, ut in ho-  
rum, aliorumvè synchronorum lucubratio-  
nibus, ne apicem quidem de chymica Pa-  
pissa oculatissimus reperiet. Et quis sibi fin-  
gat animo monstrofi facti, quod Romæ in  
theatro orbis, in confluxu tot millium, un-  
dequaque confluentium, hominum conti-  
gisset, publicam famam, & quaquaversuna  
diffusam narrationem tot, tantorumquè  
Scriptorum subreptam notitiæ? Ecquis tam  
vanus & levis, qui id persuasionis sibi im-  
buat, pleraquè horum temporum gesta ab  
his industriis Authoribus esse consignata; il-  
lud verò unicum tam nobile, stupendum,  
ac prodigiosum cunctorum describendũ ca-  
lamis in atramentario reconditum mansisse?

Rectè Tullius censuit, quod nervi atque artus sapientiæ sint, non temerè credere. Neque illud fundamentum negandi est purè inficiale, à deficiente authoritate petum & inefficax: sed simul etiã affirmativum: in quantum scilicet Authores coætanei citati scripserunt tale quid, cum quo stare nequit nugamentum fœmineum, ut latius infra patebit. Illi tales tantique viri poterant, meritòquè debebant, tanti rem momenti, quæ ipsorum temporibus, rebusquè, quas scribebant cohærenter contigisset, scribere, posterisque fidem facere. Vel igitur illi officio suo functi non sunt; vel res talis nulla tum fuit. Illud de omnibus præsumi non potest, multo minus probari: ergo hoc debet concedi.

Protestantium aliqui, ne videantur coacti credere incredibilia, desperatæ causæ inane accersunt præsidium, dum causantur, quod ex iudicio & publica authoritate, vel ipsa sola rei turpissimæ memoria fuerit suppressa, protinus sepulta; atque omnino extincta; sic ut nulli impunè licuerit eam litteris mandare. Intergogandi autem sunt. Undenam ergo subsequentiũ sæculorum Scriptores notitiam gestorum hausserunt? Quisnam ille ex antiquis, qui factæ prohibitionis meminit? Divinationibus, conjecturisque narrata defendere, candidi haud est animi. Misera profectò horum est conditio, qua voluntas tam inordinatè post se trahit iudicium rationis; ut ea velint esse vera, quæ causæ suæ patrocinantur. Verissimè Pausanias *Lib. 8. Ita comparatum est, ut qui signorum portentis aures præbent, & ipsi mox aliquid affingant: quo fit, ut mendaciorum quasi colluvie veritas vitata prorsus suam authoritatem perdat.*

Quod si ob hoc probrosum factum fuerit statutum, ut fingitur, quod impostero in electo Pontifice per Sedem perforatam sexus exploretur; si volaverint nenia in patietes picturis immissa, si scrupulosè in processio-

nibus solemnibus sceleris conscientia viæ declinatio fuerit statim observata; si in anathema oblivionis indecora monumenta ad æternam rei memoriam à S. P. Q. R. erecta; quomodo res imis fuit erasa ceris, obliturata & publica authoritate sepulta? Hic Rivetus cum suis omnibus Papißam statuentibus hæret in aqua, cui Bayle appositè illud Horatianum applicavit.

*Et quæ desperat tractata nitescere possit,  
Reliquit.*

Quod si Chronologi intervallum quoddam temporis post Lonem IV. reliquissent, quo nullus sedisset Pontifex; suspicari liceret, illo ipso Sedem occupatam fuisse à quodam, quem certa ratione ducti, prodere nolissent. Ast cum eo tempore verum assigneat Pontificem; quo sedisset Papißa, oleum operantque perdunt, qui hanc introducere conantur. Utriusque jacturam subiit Coecke, scripturientibus malefieriatis sese immiscens, dum apertissimas illas contradictiones conciliare studuit. *Qui nititur mendacii his pascit ventos; idem autem ipse sequitur.* Proverb. cap. 10.

Æque frivolum est, quod ejusdem factionis minister hariolatur, ideo hos, aliosque Scriptores Joannam prætermisisse; quod, ut Sigebertus scribit, nomini numerum non faciat, seu non computetur inter Pontifices. Verum nugæ agit. Longè enim aliud est aliquem non referri inter Pontifices, quomodo neque Anti-papæ referuntur; aliud, nullam de illo facere mentionem. Ephesii severissimis edictis caverant apud Strabonem *Lib. 24.* ne quis incendiarium infamem Fani celeberrimi nominaret; ejusquè nomen scriptis suis infereret; immane tamen scelus à plerisque refertur Historicis. Illegitimè assumptus, verum est, non debet recenseri in serie Pontificum, quomodo Constantinus II. Anastasius, Lando ab aliis, Joannes XVIII.

XVIII. à Platina omiffi sunt : atqui horum, aliorumque Pseudo - Pontificum fit equidem mentio. Joanna Papiffa ab omnibus citatis Scipioribus penitus omiffa fuit. Nulla ergo paritas mirumque videri debet quomodo posterius, post tot annorum curricula, sine antiquitatis adminiculo hujus rei fidem exigunt, quam non adstruunt.

Cæterum quod Fridericus Spanheimius, qui futilium suarum opinionum vanitatem coargui indignè tulit, hoc Authorum silentio pressus prætendit, nullius profus est momenti; quasi eorundem scripta fuerint adulterata, abolita, demptis mutatisve pro libidine vel sepultis, quæ Pontificiæ causæ adverbantur. *Quis dubitat, quin orane sit hoc rationis egestas?* Lucrer. *Lib. 3. de rerum nat.* Quod si ita sit, veterum proferat exemplaria, falsi crimem, quod imponit, tabulis convincat. Rebus ac jure, non verbis tantum agat. Sed huc hominem concitavit furia, partium studium, adegit dira necessitas, cuius non est aliud effugium, quam velle quo ipsa cogit. Nec tenuissimam, etiam suis ingrati Historici, assertio, insigni temeritate affecta probabilitatis umbram obtinere poterit; nisi ostendat, cur Scripta Authorum sæculi undecimi, & subsequenitum, quæ æquæ Pontificiæ causæ adverbantur, non fuerint adulterata, abolita & sepulta. Adeo verum est illud Jambicum. *Necessitas quod cogit, infirmissimum est.* Vapulavit egregie Spanheimius à Richardo Simonio, quod in *Diss. diffens. Græc. à Latinis* perpetuò, de posita fronte, ausus fuerit supponere, Catholicos omnes illas confessiones, quæ Protestantibus sunt contrariæ, per vim pecuniæ à Græcis elicuisse: non mitiori scutica dignus, quod Pontificiæ causæ patronis crimen falsificationis impingat sola calumniandi libidine. Minimè Liplius aberravit à vero, dum scripsit *Lib. de una relig. Ut corporibus in præceptis jactis nullum ultra sui est arbitrium; nec eunt, sed feruntur; sic calumniator, qui*

*semel ad calumniandum convitiandumque sese projecit, abit extra omnem honesti metam.* Scriptor ille mendax videtur in suis lubricationibus perpetuò litare Herculi Lindio. Huic, ut est apud Origenem *Lib. 7. cont. Celsum*, & apud Lactantium *Lib. 1. Instit. cap. 21.* sacra fiebant maledictis, conviciis, diceris: & habebantur sacra illa pro violatis, si quando inter solemnes ritus illius vel imprudenti verbum alicui excidisset bonum. Diceres Spanheimio accidisse, quod divino justo judicio, in quodam, fellitæ mentis homine, contigit, referente Petro Damiani, *Lib. Epist. 32.* ubi narrat, se cum anima emiffisse, & in feretro jacentem, vel ex ore, quo etiam pavementum longius irrigabatur, effudisse; adeo nil nisi fellitum & amarulentum in Ecclesiam Romanam scripturnendo, usque ad finem vitæ evomit.

Nec desinit nugulas ineptas aggarire ut habetur apud Mart. Capellam. *Lib. 1. pag. 1* quando comminiscitur, puduisse Romanam Ecclesiam turpitudinis domesticæ; hanc proinde silentio tegendam duxisse Scriptores Sedi Romanæ devotos. Ergone viri subsequenitum temporum præclarissimi, præ reliquis eidem Sedi variis nominibus devoti Marianus Scotus, Martinus Polonus, S. Antoninus, Platina &c. nonnulla insuper quorundam Pontificum vitia referentes fuerunt minus pudibundi? *Turpe est hominem ingeniosum dicere id, quod, si neget, probari non possit.* ait Lactant *de vera sap. cap. 29.*

Fuit utique Anastasius Bibliothecarius Sedi Romanæ haud minus devotus, quam qui ejusdem librum descripserunt. Quod si ergo hos devotio stimulavit, ut eraderent, quod huic Sedi adverbatur; quis credet Anastasium illud posteris tradere voluisse? Atque ut hoc creditu difficile non esset de Latinis, quod prætenditur, quid de Græcis Sedi Romanæ nequitiam devotis, sed infestis? Ne minima quidem in eos de suppressione Joannæ Papiffæ poterit suspicio cadere, cujus,

vel tenuissima, fama, si ipsos afflasset, nullam propalandi occasionem neglexissent. (Nil siquidem malitiæ deest, quam occasio,) ast de non Entre profundissimum apud eos silentium. Volvat, revolat quisquis explorator libros Metrophanis Smyrnæi, Styliani Neocæsariensis, Nicatæ Davidis, Paphilagonis, Georgii Cedreni, Joannis Schilizæ, Joannis Zonaræ, Nicatæ Choniata, Georgii Acropolita, Nicephori Gregoræ &c. quibus nequaquam defuit aut opportunitas aut voluntas, suis ea inferendi operibus, quæ Sedis Romanæ gloriam obscurare, & imminuere videbantur: attamen ne hilum quidem de Papiſſa reperiet. Profertur quidem in medium Laonicus Chalcondylas, qui fabulam referat, in ea, quam de Turcis promulgavit, Historia, ubi de electione Pontificis agit: censent tamen Flor. Remundus, Serarius, Cottonius & Bellarmius, eam non ab ipso Authore; sed ab impostore Clausero interprete fraudulenter insertam; eo quod in veris ac genuinis Laonici exemplaribus non reperitur, neque in eleganti versione Gallica Vigenerei extet, quam tamen fidus Interpretes omittere ausus non fuisset, si in Græco exemplari deprehendisset. Interim Gretserus *tom. 2. defens. Bellarm. lib. 3. cap. 14.* hoc ipsum de Clausero ægrè credit, quandoquidem in Bavarica Bibliotheca Monachii tres extant Historiæ hujus MSS. Codices: & unus insuper in Bibliotheca Academia Ingolstadiensis; in quibus omnibus commentum de Papiſſa legitur: nec credibile esse subjungit, Interpretem ipsos etiam Codices Græcos vitare potuisse. Sit, ut sit. Quia Laonicus Græcus citimæ est ætatis, cujus Historia non caret narrationibus manifestè falsis, nullius est Authoritatis, quando scripsit de rebus, longè ab ætate sua remotis, utique ex solo rumore haustis. Eiusdem commatis reputari debet Barlaamus ille obscuri nominis Argolicus, citatus à Grim in sua, ut Volusii Annales Cato vocat, cacata charta,

qui post longam inquisitionem ex quamplurimis, quibus Græcia abundat, Historicis; cum non posset nisi binos hosce reperire; totidem subjunxit ignotos recutitos, quorum testimonia contra minimum Christianum jura repudiant.

Sed Græcos ignorasse fabulam lubet latius deducere. Cum Leo IX. P. M. Michaëli Cerulario Patriarchæ Constantinopolitano in Epistola de azymi usu in Ecclesia Latina scriberet, Græcisquæ exprobraret, tumore a longè latèque diffusum de scemina, quæ Sedem Constantinopolitanam occupasset; vocat scelus illud incredibile. Non fuit autem Michaël ausus hoc ipsum negare, multò minus retorquendo elidere. Ergo de Joanna Romana nihil tunc percubuerat: alias aptissimè opposuisset Patriarcha; non esse scelus incredibile, quod in Sede Romana contigisse creditum fuit. Cæteris pariter Græcis etiam penitus ignotam Papiſſam intercalatam, vel inde patet, quod Photius aliquè citati Scriptores Romanæ Sedi infensissimi hostes, in quam persæpe calamum strinxerunt, tam frequenter asserant & recognoscant Benedictum III. fuisse Leonis IV. Successorem: ut nullus relinquatur ambigendi locus. Hoc argumentum esse fortissimum quod Joanna non intercesserit vel ipse Balnago in *Annal. polit. Eccles. Lib. 7. cap. 12. num. 8.* agnovit, bene observans quod, licet Successor possit intelligi mediatus vel immediatus, in significatione tamen conammi & maximè propria designetur ille, qui immediatè alteri succedit. Eiusdem argumenti vim post alios modernos, in diversis Academis Protestantium Professores Historicorum, animadvertit Jacob. Christoph. Iselin Professor Basileensis in suo *Lexico tom. 2. ibid. in Anno 1726. impresso.*

Qualis fuerit ipsiusmet Photii erga Benedictum III. hujusquæ Successorem Nicolaum, (ab hoc condemnatus fuit,) animus, satis constat ex Nicatæ, Anastasio & Zonara. In-

vale-



vaserat eviratus, homo Laicus, Sedem Patriarchalem sacrosque Ordines tumultuariè receperat, ast autoritate Sedis Apostolicæ depositus, adhibuit, quidquid è re videbatur, quo suam ordinationem probaret legitimam, seque in Sede stabiliret. Non potuisset autem magis evincens præjudicium, neque aliud validius, quo se defenderet, assumere argumentum; quàm illud, quod Romani non ita pridem in Sedem invexissent, & biennio ibidem agnovissent personam Laicam, Litteras profitentem; licet ob sexum ab illis ignoratum, incapacem. Nunquam tamen Phorius, quantumvis totus in sermone jaceret, hac retorsione usus, aut suis oggessisse æmulis legitur. Factum verò suam, Suorumque subterfugisse notitiam, vel, ut blepharo captus arbiter (Plauti phrasis est,) autumat; ex quadam animi moderatione noluisse exprobrare, nemo credit. *Immoderata bilis mentem moderatam non admittit.* ait Seneca. Præterea doctissimus Leo Allatius, natione Græcus, & in Græcicis longo usu, ut ejus Scripta exhibent, plurimum versatus notari vult, quod Ecclesia Constantinopolitana in Catalogo Concilii Generalis in Oriente computet ab initio Pontificatus Leonis IV. usque ad Formosum Papam annos quadraginta quinque, ac in iisdem summos Pontifices novem; proindeque Joanna necessario excludenda, cui nec locus, nec tempus vacare potest; si cuius anni, quibus Sedem tenuerunt, assignentur. Et quamvis nonnulli Latinorum scripserint. *Iste non computatur inter Pontifices,* id tamen de Græcis nullatenus præsumi potest: quod neque à Latinis requisiti, neque ultionè tam discreti in eorum gratiam Joannam in catalogo cum inversione totius Chronologiæ expunxerint, Leoni & Benedicto distribuendo, quod prætermisissæ mulieri debebatur biennium, cum illud vacanti Sedi non sit attributum.

Neque desunt Latini, qui Romanam Se-

dem odio Vauiniano profecuti sunt, ex grege illorum, qui, ut Tacitus *Lib. 4. Annal. cap. 10.* observat, Odio magis quàm ex fide Principum gesta prosequuntur, & virtulenti illo odium privatum falsis criminibus regunt. His adnumerandus Berengarius, ob iteratam hæresin Orbi notissimus, Anno 1088. prope nonagenarius defunctus; qui referente Lanfranco Romanam Ecclesiam vocabat Conventum malignantium, Sedem Sathanæ &c. &c. Pontificem sarcasticè appellabat Pompificem & Pultificem: utique, quod post tot solemnes, etiam juramento firmatas, palinodias diversorum senserit Pontificum ferulas. Hic itaque commodissimam potuisset in sorde habuisse calumniam occasionem; si de Joanna conspiciat: neque tamen uspiam hujus rei apud Adelmannum sub S. Fulberto condiscipulum Lanfrancum, alioquè oppugnantes reperitur indicium. Nimirum Ecclesiæ exprobrare non poterat, quod nondum in cujuspiam cerebro conceptum fuerat; nedum natum.

Paradoxum proinde sensato videri posset, quod ii, qui passim volunt sapere ultra sobrietatem, contentur quam plurimas historias, quæ in firma petra consistunt, aut in alta Antiquitate, conspirantium Patrum testimonio sunt roboratæ, convellere, seu ad fabulas relegare, non vereantur fabularum maximam, promptissimè, suis indulgendo affectibus, adoptare pro veritate, turgentibus buccis efferre, retexere, & quocunque fulcro stateminare. Sed quia judicii libertatem importuni labefactant affectus, atque imprimis alienatio, odiumque descendam inferunt intellectu caliginem, ac mentis oculos efascinant, derepente hebetant atque obscurant: haud mirum, quod, his obnoxii passionibus, in judicando à veritatis tramite turpiter deviant. Liceat iis accommodare illud Cryn. in *Præfat. ad Pintarch. de Vir. Illust. Historicus interpret est gestarum rerum: cuius judicium, si vitio laboret,* proinde

proinde fit, ut cum vinum ex se generosum & nobile graveolentiam vel ex vase contrahit, vel alioquin lenocinio depravatur: qua res vel impostura, vel inscitia maxima est intoleranda.

III. Inviecto subvertitur vanitas argumento ex ipsa ratione temporis, quæ est in omni lite historica optima moderatrix perplexa explicans, confusa distinguens, errata corrigens. *Quemadmodum* (concionatur Chrysostomus homilia 2. in *Isai*, in agris) *termini columnaque non sinunt arva confundi, sic tempora non sinunt confundi res gestas: sed, dum dirimunt alias ab aliis, & in ordinem congruentem digerunt, multa nos liberant turbatione.* Atqui nullum potest designari tempus Sedi Romanæ incubanti Papissæ, quandoquidem Anastasius Bibliothecarius, qui ea tempestate Romæ vixit, quo fingitur illa Leoni successisse, quique vitas Pontificum Romanorum descripsit, atque in Nicolao I. juxta MS. Onuphrii finit, aut in Hadriano II. vel Stephano VI. ut ex suo, aliiisque MSS. probat Baronius, nullum foeminae assignat diem. Siquidem testatum reliquit, suffectum Leoni IV. Benedictum, hisce verbis. *Sanctissimus Papa Leo IV. obdormivit in Domino XVI. Kal. Augusti, sepultus ad S. Petrum. Cessavit Episcopatus dies 15. Quo mortuo mox omnis Clerus Romana Sedis, universi Proceres, cunctisque populus ac Senatores congregati sunt, Domini clementiam exorantes, ut beatissimum illis in omnibus demonstrare dignaretur Pastorem, qui Apostolatus culmen regere valisset tranquille. Qui divinitus aethereoque inflammari lumine, uno consensu, uno conamine Benedictum, pro tantis, quibus pollebat sacris operibus Pontificem promulgavit erigere. Hæc Anastasius, qui Romæ diversorum Pontificum inthronizationem, ut loquuntur, & coronationem iis temporibus, suis spectavit oculis. Cum itaque ex fidelissimo teste oculato constet Benedictum III.*

immediate, & quidem in primo congressu post defunctum Leonem electum in Pontificem Romanum: ubi biennium pro portentosa Pseudo-Pontifice inter utrumque? si religionis instar sit fidem temporibus adstruere, ut Tertullianus asserit, necesse est, ut eorum vacillet religio, qui fidem temporibus tam accuratè adstructam negare audent. Hujus viri, qui publicis muniis Ecclesiasticis functus fuit, autoritas prævalere debet omnibus subsequentiæ sæculorum Scriptoribus juxta illud Stratophanis,

*Pluris est oculatus testis, quam auriti decem. Qui audiunt, aurita dicunt: qui vident, plane sciunt.*

Secundum Verrium Flaccum apud Gellium N. A. *Lib. 5. cap. 18.* *Cum historia, proprio loquendo, sit narratio earum rerum gestarum, quibus rebus gerendis interfuit, qui narrat, tunc tantum creditur, qui oculatus fuerit testis; nisi falsitatis convinci possit. Hoc, cum adversantium nemo potuerit, necesse est, ut fateantur omnes; quod in hujusmodi ineptiis & anilibus sibi complacent: non quia delectant: sed quod sibi resistentibus nocere credant. Rem acu tetigit Car. Paschalius *Lib. de virtut. & vitiiis*: dum scribit. *Quidam fatui & lusciosi citius ac libentius obscura & sibi incognita nec verisimilia credunt, quam liquida & aperta. Istis nunquam sol illuxit: ac tamen se supra ceteros multum sapere putant, plane digni, qui suæ sapientie relinquuntur.**

Neque ullum falsitati inde patrocinium obvenire poterit, quod Codex Anastasii Bibliothecarii Moguntia Anno 1602. impressus juxta egyptum Velseri Augustani; aut exemplar manuscriptum Cardinalis Baronii à Sirleto acceptum, illud quindecim dierum non referat interstitium. Etenim illud, quo Onuphrius Pauvin. Bellarminus, Genebrardus & Coceius, alique insignioris notæ Critici usi fuerunt, ejusdem quindenalis mensuris interstitii. Imo si nullum proferret,

ferrent, utique sufficere debet, quod Anastasius Bibliothecarius clarè perhibeat, quemadmodum post mortem Leonis IV. MOX omnis Clerus & Senatores, Proceres, cunctusque populus convenerint; quodque divinitus inflammati lumine Benedictum III. elegerint, subjungatque; quod ILLICO alacri universo studio plebs eundem Pontificem orantem in titulo S. Calixti ineffabili gaudio in Patriarchium Lateranense producentes, Pontificali solio, ut mos est Pontificum, canaque consuetudo demonstrat, posuerint: quodque post consignatum electionis Decretum ad Inviçtissimos Imperatores Lotharium & Ludovicum miserint. Lotharius verò Anno 855. 31. Augusti, Monachus Prumiensis, omnium coætaneorum consensu Scriptorum, obiit eodem Anno, die 29. Septembris diebus 74. post Leonem IV. Velanus itaque debuisset fuisse Anastasius; si inter Leonem & Benedictum quemcumque intercalasset, qui biennio sedisset. Quare si etiam Codex illius, vel ipso Baronio arbitro, sit alicubi lituratus, mutilus, hiulus, à posterioribus correctus, id de loco citato, nequidem tenuit, suspicari fas erit. Siquidem ipsa compages narrationis, seu ejus rei gesta seriesinceritatem indicat; nihilque interpolatum admittit Chronotaxis. Claudio Saumasio profitenti se in Palatina Bibliotheca vidisse librum Anastasii MS. in quo inter Leonem & Benedictum referebatur Joanna Anglica

*Credat Judæus apella*

*Non ego...*

Nisi forte Codex similis sit illi, quem Blondellus vidit in Bibliotheca Regis Galliae, in quo deprehendit hoc fabulamentum ipsismet Poloni verbis conscriptum.

Nituntur in cassum tum alii ejusdem Tenedius tibicen, tum alii ejusdem commatis rabulista persuadere, quibus est vel mica salis, quasi omnia exemplaria per Jesuitas fuerint corrupta. Levem namque oportet esse

corde, qui ad nudam narrationem adversarium credere poterit Jesuitas omnium Regionum lustrasse Bibliothecas, quorumcumque Monasteriorum invasisse penetralia ac, beneficio annuli Gygis, reconditos libros, nemine advertente, nulloque prohibente, aut inde detulisse, aut sibi displicentia adunco ungue averruncasse, ut ne unicus saltem in subsidium veritatis in toto orbe terrarum superites remanserit, nec apud Græcos quidem, quorum Bibliothecas omnes Latini depravassent. Quis suam adstringat fidem viro, ob evidentiam testimonii contra figmentum abs se adoptatum in angustias redacto, convicto & difficultates eluctari non valenti, ac instar Polydamæ, dum ruenti saxo obniteretur, obruto? quando sibi contradicentibus inhumanè convitiando, talem exceptionem adhibet, qua nihil est, quod elidi, aut eludi non possit. Verissimè Domesthenes. *Apellat contra Eubul. Ea est calumniantis natura, in crimen vocare omnia, probare vero nihil.* Fuit quidem Saumasio apud Blondellum alioque familiares oretenus conquestus, quod fuerit corrupta editio ad Velferi & Freheri manuscriptos codices Anastasii iniqua Jesuitarum Moguntinensium machinatione, dum concordantia duoduntaxat exemplaria Frehero callidè tradita, cætera, in quibus de Papissa nil continebatur, fuerint evulgata: id, quod idem Freherus Consiliarius Palatinus scripto, quod vocant *Manifesto* queritans exposuisset. Ast multis rationibus Saumasio arguitur falsi, tum quod hanc querelam nunquam fuerit ausus suis lucubrationibus inserere; tum quod nemo hominum usque huc vel unum è duobus exemplaribus repererit, æque minus *Manifestum* legerit, licet annis 20. ante ruinam Heidelbergensis Bibliothecæ evulgatum prætenditur: tum quod ne semel infensissimi, Moguntinensium præsertim, Jesuitarum hostes hanc execrabilem fraudem illis objecerint; cum tamen multiplex occasio

sele

teſe obtuliſſet. Ergo perfricuit frontem, poſuitque pudorem Salmaſius. Et, *Qua ex re impudens appellatus eſt, niſi quia iſta, quæ non ſunt; neque facta ſunt propter impudentiam palam dicere nihil pudet.* Demoſth. *Orat. 1. contra Ariſtog.* Majori ſolertia uſus eſt Iſelin *loc. cit.* dum tateſur ex prætenſo illo Codice difficulter aliquid ſtatui poſſe, indeque fidem eiſci de re cont. overſa. Alia Labbeus in hac cauſa contra Mareſium hic valediſſimè urget argumenta, quæ adverſarium in caſſes redigunt, adeo ſtrictos; ut ne rodere quidem Spanheimius auſus fuerit, ſed irrefutata, ut Lactantius ait, tanquam foveam prætergreſſus fuerit. Hæc de Anaſtaſio.

Cæterum dum quidam modernus Scholarcha Hamburgeniſis in triviali ſua ſcriptiõne, quam *Librum Commentarium* vocat, bigæ ſuorum amicorum citatum Philippum Labbeum adnumerat, quaſi hic inferriſſimus, ut appellatur, tritæ Hiſtoriæ hoſtis etiam agnoviſſet Anaſtaſium huius facti meminſſe, aërem verberat. In Clariſſimi Fabricii, Jurium Profeſſoris Aqueniſis, in Provincia, notis ad Anaſtaſium citantur Labbæi verba iſta. *Hic inferitur vita Joannis Angli in utroque codice: ſed quia fabula hac jam diu exploſa eſt, ideo hic expungendum duximus, ne malè feriati homines exinde calumniandi occaſionem raperent.* Meritò lituravit Labbeus, in cognitione Authorum verſatiſſimus, quod in utroque codice, recentiori ex Mariano Scoto intextum agnovit. Eſto enim poſſit contingere, ut, quæ in uno M. S. codice deficiunt, in alio repariantur; quemadmodum ſagaciter obſervant erudiſſimi monachi Congregationis S. Mauri, qui Ss. Patrum Editiones adornant: illa tamen, quoad aliqua verba ſolùm, & variantes lectiones citra notabilem corruptionem concedi poſſet: integræ verò lineæ, periodi, Hiſtoriæ in recentioribus duntaxat repertæ pro adjectitiis haberi debent. Tales hic eſſe in Anaſtaſio egregiè pro-

bat Sarraſius *Epist. 140.* ſic argumentando. Si Anaſtaſius hanc Hiſtoriam conſcripſit, rem ſua ætate, ſe vivo & Romæ agente, geſtam litteris mandavit: atqui de re tanquam parum comperta, & ſibi tantum ex fama cognita loquitur hic Author, cum ait. UT ASSERTITUR. Qui ita loquitur, non curat ſuo teſtimonio fidem haberi: ac ſi diceret, Credat, qui volet. An autem credibile eſt virum ſagacem de adeo ſingulari ſui temporis eventu non inquiſiſſe diligenter, ut ad poſteros res tam notabilis certa fide maneret;

Neque ſolùm ex Anaſtaſio Scriptore privato: ſed inſuper ex publicis actis authenticè demonſtratur, quod hæc de Papiffa narratio manifeſtam involvat impoſſibilitatem. Habita eſt ſiquidem Synodus Tullenſis Ao. 859. ubi tres ad Bruanniæ Epifcopos Epiftoſam miſerunt, ex cujus pericopa aperte liquet, quis Leonis fuerit Succeſſor. Eſtque hæc. *De qua reverentia ſalubriter à vobis, & à gente noſtra, Metropolitanò impendenda noſtro nomine plura & Reverendiſſimi Papa Leonis & ſucceſſoris Benediceti ſcripta docuerunt.* Videri poſſet *tom. 3. Concil. p. 2.* Quin ipſe Nicolaus Papa *Epist. 7. & 10. ad Epifcop. Orient. Sedi Conſtantinop.* ſubjectos in Synodo Rom. *cap. 6.* memorat, quinam immediatè in Sede ſua præceſſerint. *Deceſſores mei ſcribit, B. mem. Leo & Benedicetus Sedis Apoſtolica moderamina ſervantes noluerunt ſic unam partem audire; ut aliter nil penitus reſervarent.* Idem eoſdem poſtea reproducit. Porro Leonem electum Anno 847. doceri poſſet ex actis Synodi Pariſienſis, quæ referunt Sergio II. ipſo anno Leonem ſucceſſiſſe. Itaque ab illo Anno uſque ad Annum 867. quo defunctus eſt Nicolaus, ſalvis Annis Leonis & Benediceti atque Nicolai, communiter receptis, impoſſibile eſt pro Papiffa invenire biennium, quod cum aliis eidem aſſignat Balæus excuſſatus monachus in *Vit. Pont.* meris decumanis

manis calumniis confertis. Sedit namque Leo IV. annis 8. m. 3. Benedictus III. annis 2. m. 6. Nicolaus I. annis 9. m. 6. Sunt in universum anni 20. m. 3. Locum habeat hic illud Plauti Comici Epid. *Hic non est locus: quin tu alium queras, cui centones facias, id est, quem tu gloriosi mendacius & consarcinatis fabulamentis expleas.* Vertant se Papissæ propugnatores in omnes partes, quaslibet adhibeant machinas; ne unicus quidem intercalatæ mulieri in Pontificum ferie poterit assignari mensis; quæ utique extra tempus, id est, nunquam fuit. Plurimum quoque in rem facit manifestum Hincmari Archi-Episcopi Rhemensis testimonium, quod, utpote synchroni, irrefragabile citatus Basnage asseverat esse & præ cæteris omnibus validissimum argumentum, quale Historiæ de Joanna opponi poterit. Memorat idem Archi-Episcopus *Epistola 26.* Legatos Romanam à se missos in itinere Leonis IV. mortem percepisse: urbem verò ingressos in Cathedra Benedictum III. percepisse electum, ac in Sede reperisse; atque ab eo Privilegium, cujus adipiscendi gratiâ missi fuerant, obtinuisse. Quo unico dissolvitur omnis inter hos duos Pontifices stabilendæ Johannæ machinatio. Eos enim Legatos annis duobus cum dimidio testudineo gressu processisse, aut instar Onoccephali substituisse, credat qui velit. Hincmari iussu ad nova mandata tamdiu moratos ex inani conjectura si sumatur, refelli non meretur. Queruntur aliqui exemplaria esse corrupta, Johannæ nomen deletum, Benedicti III. substitutum: sed quia nulla ratione, nullo exemplo probatur, tanquam insulsa exceptio, vanum effugium, ad omnia antiquorum monumenta convellenda aptum, prorsus contemnitur.

*Et veterem in limbo rana cecinere querelam.*

IV. Evo nostro, cui lux critica plenius affulsit non solum Romano-Catholici: sed quam plurimi insignioris notæ Scriptores,

qui aliàs Pontificatum Romanum insectantur, quæ de Papissa divulgantur, gerris Siculis vaniora ducunt. Hinc cum Tullio *Orat. pro M. Cælio* exclamandum. *O magna vis veritatis! quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contra fittas omnium insidias facile se per ipsam defendit.* Audiatur imprimis Sethus Calvisius magni nominis inter Protestantes Chronologus probissimus, doctissimus, accuratissimus, si credamus Scaligero, *præfat. in Can. Isag.* vir prisæ illius Germanorum ingenuitatis & fidei, qui eximium Chronicon instruxit, quod non solum superiorum Chronologia-rum luminibus obstruit: sed & quod hujusmodi est, ut præter illud nullum verum Chronicon dici possit: quodque idem Scaliger, tam parcus aliàs quàm hic liberalis Encomiastes, vocat Divinum temporum Sacrarium, in quo nullus anachronismus, nullum delirium, nulli vices. Hic igitur vir tantus inter suos *operis Chronol. pag. 770. Editionis. 3<sup>te</sup>.* postquam notasset ex Anastasio Bibliothecario Anno 855. Leoni IV. successisse Benedictum III. hæc addit. *Qui circa hæc tempora, quando res gesta (Papissa electa) dicitur, scripserunt, hujus rei, quod sciam, nullam mentionem faciunt. Nec etiam vel Græci, vel Franci, qui hostes Sedi Pontificiæ brevi post tempore facti, & contra Pontificem Romanum scripserunt, hæc, ut insigne probrum Sedi Pontificiæ obiecerunt: nisi fortassis hæc curâ Pontificiorum librariis erasa fuerint.* Ast perperam hæc adjicitur exceptio, cum nulla prudentioribus loco esse possit; sitque prorsus nugatoria, Scaligeranum labefactans testimonium, quod Calvisius inter Chronologos primus nugari desierit. Accedant Christophorus Befoldus, Juris Consultus celeberrimus ac Historicus non ignobilis; qui dum adhuc Lutheri dogmata sectaretur, edidit *Synopsin Historicam*, in qua Catalogum Pontificum contextens haud obscure indicat, Historiam

de Papiſſa argumentis legitimis deſtitutam, Henricus Kormannus, pariter Juris Conſultus Lutheranus minimè ſcrupuloſus variis in locis ſuarum lucubrationum reputat narrationem de Johanna hac ſuſpectam. Paulus Merula, Ordinum Hollandicorum Hiſtoriographus fatetur eam dubiam. Cenſuram ferat Proteſtantium Varro & Phorius, David Blondellus in Collegio Amſtelrodamiſi Hiſtoriarum Profeſſor publicus, eruditionis laude celebratiſſimus. Hic Libro, primùm Gallicè conſcripto, & Anno 1647. Amſtelrodami edito, deinde in Anacryſi ibidem poſt decennium latinè evulgata. *Utrum mulier in Sede Pontificia Roma ſederit perluſtratis, ut ait, ſedulo Veterum monumentis, candide proſitetur. Certe nihil hujus legi in commiſſis ad nos eorum ſcriptis.* Gallicum hunc librum impugnavit, invitâ Minervâ, Congnard Advocatus Rothomagenſis, Latinum aggreſſus Mareſius argumentis ſtramineis, ut merito uterque cum aliis quiritari poſſint. *Quod Joanna Papiſſa Hiſtoria per Blondellum ſit ſugillata, ac in fabulam commutata.* Quin Curcelles Profeſſor Arminianus Amſtelrod. in præfat. Apol. perhibet, non deſuiſſe, qui *Audito argumento ſolo ejus (Blondelliani Libri) damnatoriam conſeſtim ſententiam ferrent; indignati quod materia ſibi eriperetur Romano-Catholicis poſthac inſultandi, & mulierem Roma aliquando Pontificiam ſedem tenuiſſe, obſcure obſcure, paucis autem interjectis proſequitur.* Alii, erga Authorem & opus paulo equiores, fatentur quidem, ipſum tam efficaciſſimis opinionem vulgarem argumentis impugnaſſe: ut non videant, quid ad illa reponi cum ſpecie poſſit: ſed tamen ajunt, non deſuiſſe otio ſuo & eruditione abuti, in confutanda fabula, quam pro vera Hiſtoria haberi Proteſtantium interſit. Indignè præ cæteris illud tulit Salmatiſus, cujus pectoroſæ cervicis repandæ oſtentatio, ut Plinius lo-

quitur *Lib. 14. cap. 22.* fatiſ ſuperque in eo apparet, quod inaudiens à Blondello hæc ſcripta paratragædiando efforierit. *Tradatur mihi liber iſte, & illum uno balneo diſſolvo.* Verùm poſtquam ab ipſo Authore ſibi oblatus eſſet;

*Quid dignum tanto tulit hic promiſſor hiatu?*

Non aliud, quàm opprobrium, & nominis ſui diminutionem, quando nihil prociſus attentatiſſe viſus eſt intra ſexennium, quo ſuſpervixit: nec poſt mortem intra Scripta ulum repertum fuit indicium alicujus moliminiſ: à quo fortè deſtitit, quod Rivetus Profeſſor Leidenſis ſcripſerat; ſe valde debitare, an Blondello bene reſpondere poſſit; & cum Lectoris cordati ſatiſfactione. Adſtipulatur Serrarius Parlamenti Pariſienſis Aſſeſſor, multæ vir eruditionis & variæ Lectionis, qui literis ad eundem Salmatiſium rem ita proſequitur. *Noli autem credere primum, aut ſolum è noſtris Blondellum ita ſcripſiſſe: quamvis fortè nemo unquam fortius, aut preſſius illud ſolum calcaverit. Fucere enim in eadem ſententia non incelebres inter Reformatos Theologos, & adhuc vigent in hac urbe inſignes fide ac pietate viri, qui audierunt ex ore Chamæri, ſe iſtam Hiſtoriam, vulgo creditam, fabuloſam reputare. Vidi nuper ſcriptas docti & vegeti Senis tibi & mihi amaritiſſimi Petri Molinæ, quibus idem ſemper ſibi viſum eſſe aſſeruit. Rectè itaque Naudæus, ubi teſtatur ſe vidiffè librum idiomate à quodam Societ. JESU præſbytero ſcriptum Mediolani, probantem triginta argumentis falſitatem rei; ſubjungit, ſe neſcire, quomodo Salmatiſius, in ſuo de Primatu Petri edito libro, ut verum ſuſtinere poterit, quæ de Papiſſa plebs divulgat. Certe Samuelis Bochar di litteræ exhibent, ſibi eſſe pro comperto, inane, & fictitium eſſe, quidquid hæctenus ea de re ſit proditum;*

quod

quod pariter agnovit Gregorius Calixtus Lutheranus Historicus multæ inter suos ætimationis. Richardus Lesselius in itinere Italico, quod in Anglia scripsit, rejicit ut purum & purum commentum, quod de Joanna refertur. Reprobant quoque Peucerus, Coringhius, Professor Helmstadiensis, Vossius, Grotius, Camero, Boxhornius, Professor Leidensis, Franciscus Lindenbrogius, Timanus Geselius, Guil. Cave, Barlaeus, Isaac Gruterus, novissimè in Anglia spectatissimus Bournetus, quibus subscribit Petrus Bayl in *Dist. Histor. & Crit.* ubi historiam popularem collocat in censum fabularum, cupis falsitas multis modis possit redargui. Adhærescit Schoockius Professor Groningensis. Atque horum aliorumve Ecclesiæ Romanæ hostium bene multorum testimonia (siquidem

*Fas est ab hoste doceri.)*

raro sunt validiora, quanto minus censei debent suspecta, quasi aliunde, quam ex ipsa veritatis cognitione processerint. Adeoque rectè censuit Lucius Fur. Philus apud Dionem, testimonio illo veritatis nullum aliud præstantius, quod invitis exprimitur, non coactis. Hylam inclamat Spanheimius, quando inflexibili mentis obstinatione historiam Papissæ tuetur, quam tot, tantique apud suos viri egregii, discussis omnibus, remotâ præjudiciorum nebulâ, commentum dicunt. His perspectum fuit, quod sapienter statuit Cassianus. *Lib. 1. de Incar. cap. 6.* idemque attigit Tertullianus de *Præf.* *Quod communiter sapientibus videtur, non potest, nisi à stulto abjici.* Hodiedum profectò, quotquot critica pollent; licet non in eodem religionis cultu, tamen in eo conveniunt, quod inconcinnis de Papissâ figmentis, non solum fidem detrectent: sed insuper sciolos, qui rudi plebi hæc in odium Religionis persuadere conantur, acriter perstringunt. Paucis ab hinc annis Nobilissimus Joannes

Christianus L. B. de Boinebourg, *Literarum Decus, Sacræ Cæsareæ Majestatis & Electoris Moguntini Consiliarius ac supremus Mareschallus* in *Epist. ad Joan. Conradum Dietericum Professorem Giessensem Epistola 59.* graviter huic irascitur, quod nonnisi fabulis ridiculis, gerrisque toties contritis de Joanna Papissa disputationem oppletam instituerit, quam à cunctis eruditus noverat explosam.

Quamvis iraque sufficiant abunde, quæ in destructionem rumoris sine capite, ut Cicero *famil. 12. 10.* scribit, adducta sunt: quia tamen temporis diuturnitate altas egisse radices, & Authoritatem quandam conquiescisse creditur, atque etiamnum supersit, juxta illud Hesiodi

*Haudquaquam in totum rumor perit ille  
per ora*

*Qui voluit at populis compluribus...*

nunc demum videndum, quid momenti sit in argumentis, quibus quasi stipulis cariola atque exesa, ne corruat planè, fulcitur fabula: iisque credulæ simplicitati plebis, quæcumque demum, diuimodo in rem suam apta, recipientis ut vera, probrosè illudunt falsitatum propugnatores. *Quorum dicta contraria, si toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerunt non curare, quid dicant, dum quocumque modo nostris disputationibus contradicant, quam sit insimul & erumnosum, & infructuosum vides.* scribit Marcellino S. Augustinus *Lib. 2. de Civit. Dei in initio.* Nihilominus ne silentium diffidentiae malitiosè attribuat.

Ad Primum Respondetur illud, quod Horatius multitudinem objeienti reposuit,

*Lib. 1. Satyr. 4.*

*Multa poetarum veniet manus auxilio  
qua*

Kkk 2

Sit

*Sit mihi, nam multo plures sumus ac  
velut te  
Judai, cogemus in hanc abscedere  
turbam.*

Nullum tam absurdum reperitur deliramentum, quod defensore careat, ut perquam bene Romanorum omnium, à Quintiliano appellatus, eruditissimus Varro pronuntiavit: Sint centum, sint denique mille Authores, qui referant Papissam: eorum tamen solo numero non potuerunt jura veritatis labefactari aut obrui. Errantium enim, nequit esse erroris patrocinium. *Judicandum est secundum scientiam, non multitudinem*, Gnomia est Platonis, quem *La-beo vult Semi-Deum, Cicero Deum* appellat. Esto enim plures rem ante Sacula gestam exoticam paradoxam asseverent pro constanti; certè ut audiendi sunt, unde exceperint, debent ingenè profiteri. Quod si facere pratermittant; fidem non merentur. Etenim sua sic cui libet licebit fingere sibi somnia; sin adeo promptè quemquam, qui audiat, & credat, inveniet. Quod si apud horum scripta referentes narrare, sit idem, ac probare; pari ratione inficiari, refutare esse debet. Miratur Flor. Remondus hos omnes pudoris & verecundiæ oblitos; rem, tam longè à temporibus suis sitam, eamque incertam suis scriptis ausos fuisse annectere. Quanquam illud dissimulandum non sit, quod plerique suum quoque scrupulum in credendo intimaverint; cum vix duo inter sese conspirantes reperiantur, qui certa fide & ratione hoc ipsum narrent: quin omnes ferme ex rumore vulgi, posteriores ex incertis obscurisque Authoribus gesta deprimant his passim terminis. **UT DICITUR, CREDITUR, SICUT FERUNT, QUEMADMODUM VULGO PUTATUR, UT LEGITUR, TRADITUR** &c. quæ judiciorum infirmant certitudinem: proinde hisce firmam acco-

modare fidem non poterit, qui veritatem requirit. In historico veritatis studio; si quid requiritur, hoc requiritur; ut prudens Lector in Authoribus adjectas illas dubiæ mercis notas observare non negligat. Secus si faciat, & narrationes qualvis cum certis & approbatis conglutinet historiis; quid erit tandem Historia, in tanta veneratione habitæ? Quidvis prodibit ex quovis & omnia denique vulgi somnia in possessionem veritatis irrepent. Antequam igitur suæ sententiæ assertores, sibi adversantes testibus cædant, ut Cicero *ad Qu.* scribit, illis incumbit, ut accuratè prius examinent, qui scripserint; & undenam hauserint, quod scripserunt.

Sint quoque inter eos Scriptores viri pietate insignes, sanctimoniam vitæ non minus, quam doctrinæ integritate conspicui; qui sine studiosa veritatis inquisitione ex aliis observarunt, quæ vulgò circumferebantur ut vera; nullum tamen inde fabulamento accedit pondus. Quis enim (quærit in alia causa hujus ævi Polyhistor eximius) nescit eam esse humanæ infirmitatis conditionem, eas humanæ mentis tenebras; ut & ipsi viri sancti quandoque in errores impingant, & sancta quadam simplicitate abducti, à veritatis tramite innocentet dessectant? cujus aberrationis proinde exempla adducere supervacaneum est, quæ in diversis Controversiis videri licet. Qui Historias pervolvunt, sæpenumero observabunt, ipsos etiam superpates, ne dicamus synchronos, referre res gestas ex rumore vulgi, pessimi veritatis interpretis, ut nuncupatur à Seneca, quas, aut non sic, aut neutiquam contigisse sagaciores deprehenderunt. A cunctis æquis astimatoribus, circumspiciisque rerum arbitris illud summi momenti haberi debet, quod Cardinalis Baronius de se proficitur *Annal. tom. 12. prope finem ad Annum Christi 1125. Non numero Historicorum veritatem historia consuevimus aestimare: sed quantâ fide*



*fide polleat primus Author cujuslibet assertio-  
 nis: nam reliquos primum sequi Authorem  
 frequentiori usu in more possum videmus.*  
 Imo verò accidit plerumque, ut, quod  
 quidam commentus est, cæteri minus cau-  
 te & sine delectu expilent: hos inde poste-  
 ri sequuntur, more caprarum anteceden-  
 tem gregem; euntes, non quo eundem  
 est: sed quo itur: quemadmodum citatus  
 Philosophus Cordubensis jam suo tempore  
 factum tolerter observat. Quo demum e-  
 venit, ut quæ prius incertis jactata sunt ru-  
 moribus, & à credulis simpliciter recepta,  
 gliscant paulatim, & in veri possessionem  
 irruant. Atque ita Scriptores superioris ævi,  
 dum incomperta & quodammodo audita  
 venditarent pro exploratis, & absque in-  
 tentione fallendi, falsa pro veris exhibent;  
 effecerunt errore pernitiabili, ut inanium  
 rerum fides, non modo per calamos suos  
 quaquaeversum promulgaretur, & propaga-  
 retur: sed deterrimæ famæ tum privatim,  
 tum publicè crescentis, dedecori insigni ad-  
 stipulantes, etiam res sacras, ob admi-  
 siones frivolæ depretiarent. Sed ut veritas  
 instar Solis est; ex quo semper sublustre  
 quoddam per opacas nubes erumpit, sic post  
 rigidum examen, quæ latere videbatur ve-  
 ritas, falsitatis caliginem propulsavit. Si A-  
 veninus fuerit primus, qui Papiam ex-  
 itisse negavit: accuratori indagine depre-  
 hendit, nugarum gurgitem in hujus asser-  
 tione tantum esse, ut pes nunquam figi pos-  
 sit. Hic, si Lutheranus, ut audit apud mul-  
 tos, si hæretis scabie infecta bestia, ut eum  
 vocat Baronius; utique Sedi Romanæ hostis,  
 ea tuis inseruisset Annalibus, quæ Romanis  
 probrosa. Inter quæ, cum haud minimum  
 sit, infedisse scortum; non solum autem il-  
 licid intermisit: sed obstrusum titulo Histo-  
 riæ mendacium detexit. Quorquor allegan-  
 tur testes, cum ea ætate, qua fingitur Jo-  
 anna non vixerit, unde sua procerint, ne-  
 cesse est, ut edisserant. Dum ad synchronos

fit provocatio, nullus in olla, esto plurimos,  
 eosque insignes illa ætas numeraverit Histo-  
 ricos. Tibicines ficulneos substituere Cen-  
 turiatores, quando commentum sunt gesta  
 Joannæ ex Annalibus vetustis Cœnobiorum,  
 in quibus illa vixit, esse decerpra; sicque  
 larvam vetustatis imponere voluerunt iis,  
 quæ novitiæ traditionis redolent officinam.  
*Veritas tempore invenitur.* Apud Plutar-  
 in qq.

Atque ut ipsi quoque Authores in hanc  
 rem citati ab erroris propalatione, cujus velut  
 principes testes adducuntur perperam, &  
 infimulantur; ut par est vindicentur; non  
 erit abs re, penitus in quorundam lucubra-  
 tiones authenticas inquirete; quando, sub-  
 lato fundamento, sine ullo ariete, artificio,  
 aut labore ruere necesse est omne superstru-  
 ctum ædificium. Radulphi ætas incerta est.  
 Trithemius, Bellarminus, Onuphrius, Ge-  
 nebrardus, Gualterius volunt Mariano anti-  
 quiozem, vixisse quæ sæculo decimo. Sed Phi-  
 lippus Labbeus dicit, alium fuisse Ranul-  
 phum, qui Papiam meminuit. Quidam Ra-  
 dulphum Flaviacensem volunt, quod Blon-  
 dellus pariter credidit, aut quem Albericus  
 Ordinis Cisterciensis monachus trium Fon-  
 tium inter testes Helinando juniorem con-  
 stituit. Obiit verò Helinandus monachus  
 Cisterciensis in Dioecesi Bellovacensi Anno  
 1223, adeoque Radulphus prior iste cum  
 hoc confunditur à Vignerio, Conrado De-  
 ckerro. Radulphus alius Anglus Natione, Or-  
 dinis S. Benedicti, quem Grimius in testem  
 adducit, conditus Hideginus seu Hygedi-  
 nus, & in medio sæculi XIV. Polychroni-  
 con scripsit, in quo Papiam refertur, inter re-  
 centiores computandus venit. Post hujus  
 tempora Saryricus Pannonius, impudens  
 Pontificii nominis obrectator, ut eum vocat  
 Florimundus Remondus. Interim Mor-  
 rius pro certo tenet Radulphum Flaviacen-  
 sem obiisse Anno 1159. aliumquæ recentem  
 Radulphum de Dicero, Decanum Londinen-  
 sem,

sem, qui initio sæculi XIII. scripserit *de temporibus mundi*. Item alius ante hunc extitit Radulphus dictus *Eleemosynarius*, ex Ordine S. Benedicti, qui homilias scripsit. Pluribus idem nomen convenit, qui scripta evulgarunt sæculis posterioribus: cumquæ Adversarii necdum inter se convenerint, qui ex his de Papissa scripserit, de Radulphi Autoritate nil curandum.

Marianus Scotus, qui ad annum 1083. suum Chronicon complevit, ut testis est Bodechinus Abbas in *appendice* Anno 1086. adeoque ducentis annis post Leonem IV. mortuus fuit. In ejus Codice, Francofurti impresso, sic legitur. *Leo Papa obiit: successit Joanna Mulier. a. 2. m. 5. d. 4.* Attamen Nicolaus Serrarius *Hist. Mogunt. Lib. 1. cap. 42. num. 38.* testatur, quod in MS. Mariani, sibi à Latomo Francofurti exhibito, sic habeatur. *Huic Leoni successit mulier, ut asseritur.* Si ergo Marianus hanc fabulam referat, mendaci innuitur famæ vulgi. Baronius, cui satis ex eo visum fuit Mariani testimonium attenuatum, quod annis 239. post factæ Papissæ prærensum obitum scripserit, quidem censuit, quod ex illius cerebro fabula ortum traxerit; quæ pariter est opinio Bzovii. Verùm alii, qui singulari studio reconditos MSS. codices in diversis Bibliothecis perlustrarunt, manu aliena fabulam interpolatam dicunt. Gerwinus Calenius, J. U. Licentiatus in *Notis ad Cranzium* prodit, quod antiquiora MSS. Mariani, quæ vidit, illo admisso fursure careant. Joannes Pistorius vir integerrimus, & Rudolpho II. Imperatori à sacris confessionibus peranti- quum Mariani Scoti MS. codicem habuit, in quo, ut Gretserus *Lib. 3. de Pontif. cap. 24.* perhibet, ne vola vel vestigium hujus figmenti reperiebatur. Extat insuper in Bibliotheca Gemblacensis Monasterii Chronicon Mariani in pergamento, vetustissimo caractere exaratum, in quo, Auberto Mico oculari inspectore teste; nulla profus

est Papissa mentio. Denique in celebri Bibliotheca Oxoniensi codex Mariani MS. custoditur, in quo, ut litteræ Conservatorum ejusdem Bibliothecæ attestantur, ipsiquæ Adversarii consentent, qui Papissam deprehendere vellet, ab asino lanam requireret. A Joanne Heroldo labem MS. authographo invecam, quando typis hoc Chronicon evulgavit, arbitratur Flor. Remondus; in vetustioribus impressis non extare, testis est Coronius *L. c. lib. 2. cap. 24.* Non deerit forsân, qui reponat omissam Joannam à transcribentibus, ob Pontificæ Sedis reverentiam. Ast non eo recurrendum. Ecce ab ipso Mariano monacho & ex posterioribus sæculi XV. scriptis impressisque libris pariter omissa non fuit Papissa, ob eandem reverentiam, quam professi sunt, qui libros publici juris fecerunt. Veru anteposito, fabulamquæ jugulante, quæ phrasî Hieronymi est in Daniël. prologo. Nugatores egregiè retorquet citatus Remondus *cap. 22. Antiquos*, scribit, *ne Ecclesie Romana turpitudinem proderent, quam tanquam matrem venerabatur, Joanna sacrilegum incestum, quibuscumque potuerunt artibus, texisse Hæretici calumniantur, idem tamen propositi immemores contraria objectione mucronem in proprias cervices convertunt...* Etenim nobis objiciunt, ideo cathedras perforatas in Lateranensi eade fuisse collocatas, morem Pontifices visitandi, majori curiositate, quam modestia Christiana postularet, introductum; imaginem Joannæ in vico publico Roma positam... id, si ita sit, crimen hoc tenebris involvere, oblivione conterere, silentio dissimulare noluerunt: sed potius promulgare & futuris sæculis commendare. Habeat sibi hæc Fridericus Spanheimius, qui, ut supra relatam, in hac turpitudinis dissimulatione, seu vulgandæ prohibitionis scalmum nactus, scapham se invenisse opinatur. Nequaquam vir ille suo eos metiri debuisset pede, qui eo tempore vixisse dignoscuntur: siquidem his

fide

fide & veritate nil antiquius, qui potius turpe factum, si unquam contigisset, candidè retulissent, & aliqua excusatione obduxissent, quàm patratum perfidè, veritatis dissimulatione, prætermississent. Imo meretricis expudrata, ut Tertullianus loquitur, honorem factum rectum unus altervè, frustra conatus fuisset conservare, cujus ipsa in omnium oculis naufragium fecerat. Certè non suppresserunt ea, quæ turpia notata sunt in Stephano VII. Christophoro, Sergio III. Joanne X. XI. & XII. Benedicto IX. nec omisissent Historico stylo, tanquam penicillo nativo, vivis coloribus exprimere, quæ de monstroso capite occurrissent. Quam ergo veritatis speciem habere poterit, ab his suppressas esse res duorum annorum spatio gestas, & posteritati tam turpiter imponere voluisse? Quotquot mulieris hujus meminerunt, non altius ascendunt, quàm ad Martinum Polonum ducentis annis Mariano posteriorem. Itaque statuendum, quod in Mariani Chronico sincero nihil de Joanna repertum fuerit, quod, ob Authoris præclaram eruditionem & sanctimoniam in pretio habitum, plurimorum manibus exaratum fuit.

Sigebertus Gemblacensis monachus scripsit Chronicon usque ad Annum Christi 1111. quo anno, vel saltem sequenti ex hac vita discessit. Prodiit illud primum ex typographia Henrici Stephani Parisiis Anno 1513. In eo ad Annum 854. sic notatur. *Joannes Papa Anglicus. Fama est hunc Joannem feminam fuisse, & uni soli familiari cognitam, qui eam complexus est, & gravis facta peperit Papa existens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam; ideo numerum nomini non facit.* Ubi advertendū quod verba illa *Joannes Papa Anglicus* rubricis notata à typographo sint addita, quæ in posterioribus editionibus sunt omissa. Sed neque cætera in antiquis veris & genuinis Sigeberti exemplaribus MSS. reperiri testatum

reliquerunt Onuphrius, Coccius, allique, quod sagaciter quoque observavit Genebrardus *Lib. 4. Chronol.* scribens. *Quod Sigebertus id videatur dicere, fictum est atque inspersum; ut fidem faciunt antiqua ejus manuscripta exemplaria.* Protastus, Ordinis Minorum sacerdos ad adstringendam fidem prius juramento se obstrinxit & (quod quidem frustra enervare conatur Alexander Coocke) Flor. Remondo obtestatus, se Gemblaci Authoris librum integrum voluisse; & ne vel levissimam umbram hujus figmenti vidisse.

Idem Manuscriptum Chronicon Molanus asseverat Alano Copo se inspexisse, nihilquè de Papissa repertum. Ipsequè Alanus *Dialog. 1. cap. 8.* fidem præstat, Antiquiora Sigeberti exemplaria nullam hujusmodi narrationem continere; & satis præterea constat illius Historiam multis adscititiis, & planè vanis ex cujusdam Galfridi Monumetensis libro plurimum auctam: quod quidem etiam in præsentī facile contingere potuisse legenti patebit; quandoquidem periodus de Papissa, ut vel ipse Spanheimius advertit, parenthesi includatur, quæ periodus; eo ingenuè fatente, in MS. Leidensi antiquissimo codice, 38. scilicet annis post mortem Authoris exarato, non exat.

Perinde autem erit ubinam Sigebertus librum composuerit, licet Grimius falsò adducat testimonium Trithemii, quasi in Monasterio S. Vincentii Diocæsis composuisset, quia in Trithemii catalogo Chronicon non recensetur; & alia postmodum ad nativum suum monasterium reversum, ubi diu vixit & obiit, edidisse citatus Abbas observat. Porro Sigebertinum illud Chronicon evulgavit à multis lucubrationibus celebratissimus Aubertus Miræus, usus quatuor valde vetustis MSS. exemplaribus, atque hæc ad Annum 854. adjungit. *Hoc loco nulla in Gemblacensi, Aquincinctino, Lipsiano aut Orteliano manuscriptorum codicibus, quibus usus sumus, Joanne Papif-*

*Papissa sit mentio: imo ne in margine quidem ullius e dictis codicibus quid tale adscriptum legitur, ut sunt interdum nonnulla recentiori manu ad marginem adjecta. Itaque certum est, hanc de Joanna Papissa fabulam Sigeberto nostro falsissime attribui. Sed neque in Guilielmi Nangiani Chronico, in quo alioquin totus Sigeberti liber descriptus est, ut Pontacus Lib. 2. Chronograph. ad Annum 855. advertit; neque in Alberico, vel Vincentio Belluacensi, qui ubique fermè, tum præcipuè ad Annum 854. familiariter Sigeberto usi sunt, quidquam de Papissa legitur. Extat quoque in Bibliotheca Oxoniensi à Nobilissimo Equestris Ordinis viro Thoma Bodley fundata, codex Sigeberti perantiquus, ubi hujus manu ad Marginem ad Benedictum III. adscriptum. Nota hic, à Sigeberto nullam fieri mentionem de Papa Joanne, qui (UT ASSERITUR) femina fuit, & à Martino Polono in suis Chronicis inter Leonem & Benedictum fuisse fingitur. In celebrioribus quoque Bibliothecis Italiae quosdam Sigeberti codices, ex priori illo Gemblacensi deceptos, & summa fide transcriptos, in quibus nulla fabulæ hujus est mentio, se vidisse Onuphrius fatetur. Adjectitium verò à Roberto, & qui Chronicon Sigebertinum complevit, creditur, & nunc passim in impressis libris legitur. Ast falsitatis & contradictionis inde arguitur, quod ponatur Papissæ electio eo anno, quo electus Benedictus, quod prorsus impossibile: quia mulier sedisse dicitur annis 2. m. 2. adeoque Sigebertus, si Bertam illam posuisset, ante Benedictum duos annos locare debuisset. Deinde idem Chronologus ad annum 854. scribit. *Benedictus tertius Pontifex Romana Ecclesia centesimus secundus præfides.* Ergo eodem & sequenti anno non potuit juxta hoc Chronicon & numerandi seriem præfuisse mulier, quæ in ipso Gemblacensis Monachi Chronico authographo, liurâ & falsâ experte, non reperitur, adeoque ci-*

tatus verè scripsit Calenius. *Marianus Scotus & Sigebertus, quorum, quæ supersunt scripta exemplaria fraudem illorum detegunt, quorum impressis voluminibus id inseruerunt, de Papissa non scripserunt.* Sed demus, Sigebertum, qui, ut apud Trithemium habetur, scripsit, quæ suum propositum habebant, & notante Labbeo, ad procacissimam usque mentis audaciam pervenit, nullis tamen testium, quos causæ gravitas postulabat, subsidiis fultus, nullis bonis Authoribus, quos numerare debebat, subnixus, nullis litteris, nullis membranulis, nullo macrocollo, nullo chartarum antiquarum aut inscriptionum, quæ fidem facere solent, monumento vallatus, sola vulgari fama contentus hoc asseruisset, meritò de eo arguetur à Flor. Remondo.

Otto Frisingensis obiit Anno æræ Christianæ 1159. composuit Chronicon septem Libris comprehensum, Argentorati Anno 1515. typis evulgatum; in cuius catalogo ad calcem Lib. 7. cap. 33. inter Joannem VI. & Sisinnium sic legitur. *Joannes septimus Papa femina.* Verum hic Index, seu Catalogus post mortem Ottonis fuit adjectus, quemadmodum Papissæ fautores concedere debent, tum quod Otto diligens veritatis inquisitor, ac illustris Scriptor ab omnibus habitus, non censeatur contra fidem omnium Authorum se præcedentium quidquam asseverare velle, constetque Joannis VI. successorem fuisse Joannem VII. natione Græcum: tum quod librum septimum Chronologus finiat cap. 34. tempore Eugenii III. & tamen catalogus ille cap. 35. Pontifices Romanos recenset usque ad Leonem X. adeoque trecentis septuaginta annis posterior sit. Alias in eodem Chronico post Leonem IV. nominatur Benedictus III. Ubi cæterò quin, si fama viguisset, Johanna locari debuisset. Sed æque minus in ipsa annorum serie historica sive Joannis VII. aut Sisinnii, sive Leonis IV. & Benedicti hujus monstri mentio rejicitur.

Gotho-

Gothofridus Viterbiensis presbyter My-  
 historiam Volumem, ut Vopiscus in *Fir-  
 mo cap. 1.* vocat fabulis conspersum, con-  
 fecit, Chronicon universale, quod PAN-  
 THEON appellari voluit; atque in viginti  
 partes distribuit, ab initio Orbis conditi us-  
 que ad annum millesimum centesimum  
 octuagesimum sextum. Parte 17<sup>ma</sup>. usque  
 ad annum octingentesimum septuagesimum  
 quartum, nullius Papissæ meminit. Ast Part.  
 10<sup>ma</sup>. hæc habentur. *Leo IV. Papa. Sedit  
 annis 8. mensibus 5.* E regione in altera co-  
 lumna. *Item Lotharius Imperator cum filio  
 suo Ludovico.* Et postquam de Leone verba  
 fecit, subijunctum est. *Papissa Johannes non  
 numeratur. Sequitur Benedictus Papa. Sedit  
 annis 2.* In distinctione temporum, eadem  
 Parte vigesima, Leoni immediatè Benedi-  
 ctum, absque mentione Papissæ, supponit.  
*Leo Papa. Sedit annis 8. mens. 5. sub eodem  
 Lothario & filio ejus Ludovico. Benedictus  
 Papa sub eodem sedit annis 2.*

Quandoquidem verò Lotharius Impera-  
 tor, ut supra dictum est, obierit Anno octin-  
 gentesimo quinquagesimo quinto: eodem-  
 què anno Leo IV. discessit; hinc, si Pa-  
 pissa successisset Leoni, non potuisset Bene-  
 dictus post Biennium sub Lothario sedisse.  
 Igitur conijcere fas est, verba illa de Papissa  
 non numeranda à quodam adjecta, qui sup-  
 posuit fabulam illam, tempore Gothofridi  
 needum excogitatum, esse veram. & si Hi-  
 storico huic innotuisset, valde absone hæc  
 pauca interjecisset sine ulteriori manifestatio-  
 ne, quæ & qualis Papissa diceretur. Rem  
 profus inauditam, utique conveniebat Scri-  
 ptori cum debitis circumstantiis accuratè  
 narrare, si fidem exigeret. Sed detur etiam  
 ingenii morosis & contentiosis, quibus ætas  
 nostra abundat, hæc fuisse scripta ab ipso  
 Gothofrido. *Papissa Johanna non numeratur.*  
 Ex eo tamen minimè aliquando existi-  
 tasse; quin potius nunquam existisse collige-  
 re licebit: siquidem numerari non debet,

quod fuisse fingitur tantum, nullo autem  
 tempore fuit.

Martinus Polonus ex superiori Slesia ori-  
 undus, & ut in MS. Bibliothecæ Viennensis,  
 se ipsum vocat, Oppaviensis de Regno Bohe-  
 miæ, dictus alias Strepus, fabulis duntaxat  
 celebris; cæterà obscurus apud Bernarium,  
 vivere desiit Bononiæ Anno 1279. Ergo  
 Chronicon, quod primùm Anno 1574. Ant-  
 werpiæ extensum usque ad Annum 1320.  
 sub illius nomine à Suffrido Petri, J. U. D. &  
 Professore Colonienfi cum notis editum, ab  
 alio continuatum fuit: erraveruntquè Vo-  
 laterranus & Cockius sub Joanne XXII. eum  
 constituentes, qui Anno 1316. ad Pontifi-  
 catum pervenit. Ipsemet Author perhibet in  
*Præf.* se Chronicon deduxisse usque ad Joan-  
 nem XXI. inclusivè. Quod igitur in cit. M.  
 S. Viennensi legitur, apud Lambecium *Lib.  
 2. Bibl. Vindobon.* deductum usque ad Ho-  
 norium IV. intelligendum est; ab eo, qui  
 illud descripsit; adeoque Labbeus exinde  
 vitam gratis usque huc deduxit ipsiusmet  
 Martini. Hic Chronologus passim reputa-  
 tur primus, qui Papissam produxit. Quod  
 ideo facilius creditur: quia id sibi negotii  
 credidit solum dari, populo ut placerent,  
 quas congescit fabulas: ideoquè multa pa-  
 radoxa suo ingessit libro; &, ut fatetur,  
 etiam ex Gervasio Tilleberienfi, qui, sicut  
 Naudæus in *Apol. Vir. illustr.* prodit, fabu-  
 larum confarciator, & facundissimus men-  
 dax inter omnes, qui unquam calamo usi  
 sunt; quod idem Naudæus constare asserit  
 ex libro illius *de Otis Imperialibus*, in quo  
 ita exotica, extravagantia, rationi & possi-  
 bilitati, etiam extraordinariæ, repugnantia  
 depromuntur; ut fabulæ Ælopica, respec-  
 tu horum, sint centies magis credibiles.

Ex hoc igitur tam cæcoso lacu Polonus  
 hausit tum gesta Papissæ, tum alia mox  
 tangenda. Nihilominus varia dicuntur re-  
 stare manuscripta exemplaria illius, in qui-  
 bus nihil de Johanna, quam intexuisse Got-

fridum Monachum autumat Onuphrius ; cujus insinulant Flor. Remondus *l. c.* Heroldum , Maimbourg *in Schism. Græc. ad Annum 881.* Hæreticos : sed gratis ; quandoquidem & S. Antoninus & Platina &c. Scriptores sæculi XV. Martinum desuper citârunt. Abraham Bzovius Dominicanus Polonus, Author satis oculatus , negat in authographo M. S. Martini narratiunculam illam inveniri. Deesse in Antiquissimo Codice, quem in Bibliothecam Vaticanam intulit Urbanus VIII. observat Leo Allatius *l. c. num. 7.* Idem Suffridus Petri testatur de Codice Abbatia Tongerloensis , in quo nec numerus , nec nomen Johanna observetur , sed Leoni præcedenti Historia , velut fabula , appendicis loco adjiciatur. Severinus Binnius , Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienfis insigne decus, in notis ad Concilia Generalia & Prov. suo studio, Anno 1606. 4. Tomis evulgata , fatetur se vidisse antiquissimum quoddam exemplar Chronici quæstionis , in quo Historiola non extabat ; juxta quod Anno 1618. Colonia illud fuit excusum. Legi desuper meretur Guilielmus Cave in aula Caroli II. Angliæ Regis Concionator *de Script. Eccles. pag. 739.* ubi de Chronico hoc ita scribit. *Nihil illud magis famosum reddidit , quam decantatissima illa de Joanna Papissa , seu fabula , seu narratiuncula. Sane fabulam esse, & Martini Chronico intrusam , nullus dubito : præsertim cum in plerisque Codicibus manuscriptoris desideretur. . . Certè Martini Chronicon non unam interpolationem passum esse , eruditi dudum observârunt. Unde Bayl merito apertissimæ falsitatis convincit Juræum Gallum, Ministrum Roterodamensem , scribentem, omnia antiqua manuscripta esse editioni Heroldianæ conformia.*

Atque hinc etiam cum Pontaco Episcopo, summæ eruditionis Viro , prudenter dubitandum , an Martinus sit fabulæ author , cujus libro esse insertam pariter persuasum habet Du Pin *Biblioth. nov. tom. 10.* quidquid

Petrus Coronius. Soc. Jesu *Lib. 2. Instit.* probabile censeat ; Martinum Historiam scripsisse , quæ verè fabula erat : quandoquidem Ptolom. Lucensis sæculi XIV. Historicus asseveret , quod in nullo alio historico , quam in Martini Chronico , factum legitur : adeoque Mabillonius *Itiner. Ital. tom. 1.* multique alii hunc Martinum , si non authorem , factem narratorem fabulamenti dicunt. Idipsum vero parum refert , quia Chronologus ille à Bellarmino VIR SIMPLICISSIMUS ; ab Onuphrio MENDACIORUM LOQUACISSIMUS vocatus , ex obscura fama illud hausisset , cujus proinde authoritas flocci æstimanda. Et quis tam vecors , qui illius seruta , quæ pro gemmis collegit , vel minimo pretio habeat ? Nemo reperitur , nisi fortè , ut ille , simplicissimus , qui vel superficialem adhibeat fidem iis , quæ narrat de dracone indies 6000. homines occidente ; de alio quodam decumano , quem sedecim boves ad bustum trahere nequiverunt , de Pilato , de Merlino propheta. Exploduntur ab omnibus , quæ ex libro de infantia Salvatoris corrasit. Ludibrio habentur quamplurima alia , quæ concessit. Ecce ergo fidem merebuntur paradoxa , quæ de Scotto mitrato desumpsit fortè è trivio. *Ut quis huiusmodi credere possit ; ipsa sibi obstat rei magnitudo.* scribit L. Annæus Florus in Proëm.

Negari non potest , quod S. Antoninus Papissam referat. Ipse autem recensendus inter illos Historicos , de quorum uno Julius Scaliger *Exercit. in Card.* meminit , quod omnia crediderit tanquam vir bonus. Observandum hic venit , quod alias ex Cano *Lea. com. Lib. 11. cap. 6.* de ipso insinuatam. Nimirum, non tam dedisse operam, ut res veras, certasque describeret ; quam ne nihil omnino prætermitteret, quod scriptum in schedulis reperiretur. Similis in eo Quinto Curcio , qui *Lib. 9. cap. 1.* fatetur. *Plura transcribo , quam creda. Nam nec affirmare sustineo, de qui-*

de quibus dubito, nec subducere, qua accipi. Ita ad historiam unamquamque existimandam, momentoque suo ponderandam virum hunc non artificum staverat: sed ne populari quidem trutinâ usum fuisse, constat. Quam obrem, infert citatus Episcopus Cananensis, licet bonus ac minime fallax vir fuerit: cum tamen nec Authores eos, à quibus suos exscripsit libros, examinaverit, nec res iustis libratis ponderibus memoriæ prodiderit; apud Criticos graves & severos autoritate caret. Fuit S. Antoninus, dum viveret & scriberet celebris opinionis, testante Trithemio de Scriptor. Ecclesiast. nec minus vita & conversatione, quam scientiâ venerandus; vir Doctissimus ac Sanctissimus, ut eum vocat Bellarminus *ibidem*, atque ab Adriano VI. Sanctorum Catalogo adscriptus; nihilominus verificatum manet illud, atque S. Antonino applicandum in specie, quod Baronius scribit in genere tom. 8. *Annal. ad Annum Christi 604. Quanta vis sive Sanctitatis, sive doctrina cuiuslibet prerogativa viri, quod non factum est unquam, ut factum asserentis, ipsi veritati nequit prajudicium inferre. Cum in his, quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisquis Sanctissimus, atque Doctissimus fidei Orthodoxa professor atque defensor aliquando falli.*

Quod ex Platina defumitur, minus curandum: præsertim si vera sunt, quæ Bernardus Lib. 2. *Histor. legen.* habet; quod impudens aliquis nebulo interpolaverit illius scripta; quodque audierit ex Antonio Helvetio, viro Consulari Lovanienti, dixisse sibi sæpius Engelbertum Boonium, vidisse se in Bibliotheca Vaticana Platinae exemplaria antiquissima, & sedulo examinasse: de Johanna autem ne litteram inibi reperisse. Ubi tamen mixtum alicui videri posset; cur Onuphrius, Bellarminus, Baroniusque, qui Bibliothecam illam oculis perlustrarunt lynceis, codices illos non reperierint, cujus utique meminissent. Sed quanquam conceda-

tur, à Platina ipso scriptum, quod in Libris impressis legitur; quid opinionis sibi de Pappisa infederit, his manifestat verbis. *Joannes Anglicus, ex Moguntiaco, oriundus multis artibus (UT AJUNI) Pontificatum adeptus est... Legendo autem & disputando doctè & acutè tantum benevolentie & autoritatis sibi comparavit; ut mortuo Leone (UT MARTINUS AIT) omnium consensu Pontifex crearetur. Verum postea à sereno compressa, cum aliquamdiu ventrem tulisset; tandem cum ad Lateranensem Basilicam proficisceretur, inter theatrum, quod Colosseum vocant à Neronis Colosso, & S. Clementem doloribus circumventa peperit, eoque loci mortua Pontificatus sui anno 2. m. 1. d. 4. sine ullo honore sepelitur. Sunt, qui hæc duo scribant: Pontificem ipsum, quando ad Lateranensem Basilicam proficiscitur, detestandi facinoris causa, & viam illam consulto declinare; & ejusdem vitandi erroris causa, dum primò in sede Petri collocatur, ad eam rem perforata, genit alia ab ultimo Diacono atrectari. De primo non abnuerim; de secundo ita sentio, Sedem illam ad id paratam esse; ut, qui in tanto Magistratu constituitur; sciat, se non Deum; sed hominem esse, & necessitatibus natura, utpote egerendi subjectum esse; unde merito stercorea sedes vocatur. Hæc, quæ dixi vulgò feruntur; incertis tamen & obscuris autoribus: quæ ideo ponere breviter & nude institui; ne obstinate nimium & pertinaciter omisisse videar, quæ ferè omnes affirmant. Erremus etiam nos hæc in re cum vulgò, quanquam appareant ea, quæ dixi, ex his esse, quæ fieri posse creduntur. Hactenus Platina. Atque in hunc modum pœne cæteri loquuntur, Nonne vides, provocat solertissimus Coeffeteau, *Respon. ad myst. Inquit.* monstruosa historiae gloriosa fundamenta? Et si eadem verisimilis fuisset; nunquid sufficit, ut vel hinc omnem fidem amittat? Fuerunt Pseudo-Historici, maleferiati, otio & litteris ab-*

utentes. qui, juxta Persium, studuerunt, bullatis ut sibi nugis pagina turgescat; quos Plautus Geruſigulos; Marcellinus appellat Rumigerulos; quippe scripturitione p̄turgentes; Scriptiones suas Musteas, sicut cum Plinio 8. *epist.* 2. loquitur Sidonius 8. *epist.* 3. chartasque figmentis undequaque corralis conspurcatis orbi obtrudere minimè veriti sunt; in quibus commentum de muliere larvata refertur, tanquam res seriò gesta. Et quale tandem ex his omnibus agglomeratis poterit emendicari præsidium? Satis triumphat veritas, Senecæ judicio, si apud paucos, bonosque accepta; nec indolis ejus est placere multis. Superabundavit superior ætas Scriptoribus nugivendis, usque adeo; ut, nisi vagum istud, semperque adhuc incrementa capiens librorum diluvium, aliquando sistatur, futurum brevi, ut homines aut nihil legant, aut nihil credant: quando experientur, quod etiam à viris alicujus nominis, ac si certa essent, evulgata, in Gerusiam deducta, falsissima sint censurata, in quos meritò stylum acuit eximius Historiographus Nicephorus Gregoras *Histor. Lib. 1.* hunc in modum. *Hujusmodi portentosa Scriptorum nostræ ætatis ex ignorantia veri, & imperitia rerum, quæ à quovis audierunt, priusquam expendant, sipt ne probabilia & veritati consentanea, an autem absurda, & ab ea prorsus abhorreant; sic illas chartis illiniunt, ac memoria mandant, easque causas adferunt, quæ nullæ sunt, neque omnino fieri possunt: quales esse Platonis ideas accepimus & tragelaphos ex Indicis monstris in Asia narrari ab iis, qui figmenta figmentis accumulunt, ut inde majorem in animis auditorum admirationem excitent. Salsum quoque illud æque ac verum, quod, paucis interjectis, idem subdit. At præclarissimi isti vel ignari vel inimici veritatis, tantum abest, ut aliquid veterum errorum silentio dissimulaverint, ut etiam multa, quæ nec dicta, nec facta fuere, litteris mandarint: adeo acerbi & petulantes veri-*

tatis hostes extiterunt. In quas verò salebras non inciderent, qui ea scribenda suscipiunt, quæ nec ipsi viderunt, nec ex iis, qui res gesserunt aut viderunt, audire studuerunt: sed ea portenta, quæ in prostibulis ebrii à lingua aut à deliris anticulis referuntur. Ita ille.

Ad Secundum Respondetur. Verbis Tullii, *Mentiri Historico turpissimum est.* Atque admissio gratis, quod Canon *Nemo.* Dist. 16. q. 3. à Joanne VIII. constitutus fuisset, minime tamen inde sequeretur Joannem illum fuisse mulierem; quod nemo unquam vel verbo indicavit: quidquid Centuriatores præterdant ab aliquibus scriptum; quos in re tanti momenti producere oportebat. Hos cum nominare omiserint, nec illorum alias in historiis sit satis tuta fides, quemadmodum Baronius variis in locis demonstrat, cadit in illos suspicio falsi. Caterùm illud, quod præfertur, quasi tempore Ludovici, ad quem Canon ille directus fuit, nemo alius istius nominis Pontifex sederit, à vero alienissimum est. Ut enim supervacaneum foret, illud operosius evincere, ipse Plessus in *Myth. Inquit.* carpit Joannem VIII. non ficticiam Papiſam: sed Successorem Adriani II. quod Ludovicum II. juramento absolverit. Fuit ergo tempore Joannis VIII. Pontificis Ludovicus Rex, ad quem sic scribere potuerit. Deinde habuit Ludovicus, Rex Romanorum, filios Carolomanum & Ludovicum, ad quos hujus Joannis extant epistolæ. Fuit & Ludovicus Caroli Calvi filius, Rex Galliæ, ad quem Joannes pariter exaravit litteras *Tom. 3. Concl. p. 3.* Atque hinc ulterius patet, quam elumbe sit quorundam argumentum de ratione numeri, quem suo apposuerit nomini Joannes XXI. Joannes XXII. & Joannes XXIII. quasi hi eo ipso Joannem agnovissent ejusdem nominis Papam VIII. Ea siquidem non computatâ (prout à nemine Pontificum, etiam si extitisset, unquam computata fuisset) illos Pontifices juxta anteriorem calculum communem sic vocatos & numerandos perhibet istorum



istorum etiam Scriptorum Catalogus, qui Papissæ meminere : sed addunt inter Pontifices non numerari. Nunquid hoc est Theorematis nugilibus dilatare? quomodo apud Gellium legitur *L. 1. N. A. c. 2.*

Ad Tertium Respondetur. Ut ignis, quo pluribus lignis obruitur, eo magis accenditur: sic veritas, quo magis impugnatur, eo magis illustratur & emicat. Quodli puerpera fuerit cum prole extincta in ipso partu; quomodo correspondet statua facta? cum illa exprimat puerum adultum, & alium natu majorem. Quæ prætenditur esse Papissæ, arbitro Bellarmino oculari inspectore, Sacrificuli est gentilis cum suo famulo præcedente. Alii autumant esse ex Fano quodam desumptum deatrum. Qualecumque demum sit, non est, qui perhibet sub quo Pontifice, aut quo tempore simulachrum fuerit erectum. Ante sæcula priora; cum adhuc esset cor unum & anima una in Domo Domini, nulli in mentem venerat, quod per hanc statuam Papissæ exprimeretur; sicut postea, qui recesserunt à nobis, quia non erant ex nobis, plebi persuaserunt. Quod Senis in Templo majori inter Pontifices Romanos collocata fuerit statua mulieris; manseritque usque ad tempora Clementis VIII. id nimium Senensium coniventia, sculptorum errori, & licentia statuatorum tribuendum.

*Namque unum sectantur iter, & inania rerum*

*Somnia concipiunt & Homerus & acer Ariston.*

De hac imagine sic refertur in musæo Ital. Mabillonii & Germanici. *Octo vulgò numerantur Pontifices ex Senis vel Senensium ditione oriundi. Gregorius VII. . . Dum ejusmodi statuas intueremur, occurrit memoria id, quod in Colmesii singularibus legitur, statuam pseudo-Papissæ Joanna inter illas Pontificias locum habuisse, usque ad Annum 1634. Quo*

*anno Joannes Lannoyus Doctor Parisiensis Senas profectus, ipsam statuam, in Cathedra ali Ecclesia, etiam tunc stantem, se vidisse assertit in sua Dissert. negan. argum. ac proinde Baronium illusum fuisse, cum in litteris ad Flor. Remondum scribens disjectam & comminutam statuam, sibi ipsi gratulatur. Oculis omnia lustravimus accurate, nec quidquam de illa statua aut videre aut rescire potuimus. Rem postea maturius examinavit Illustrissimus Abbas Jacobus Miganellus, atque enigma solvit in litteris, quas per Magliabechium nobis transmitti curavit. Quippe statuam illam fabulosa Joanna, qua post resectam sub hac novissima sæcula Basilicam, obtinente fabula, fabricata fuerat, demum Clementis VIII. Pontificatu, cooperante cum Magno Duce, ad Baronii preces, Archi-Episcopo Loci Cardinale Tarugio, non penitus quidem fuisse comminutam: sed, mutatis forma muliebris Lineamentis, ex femina factam Pontificis Zacharia figuram, appposito Zacharia nomine: ne qua suspicio postea hac de re, ob observatam statuam materiam suboriri posset. Ex vera & genuina facti Historia. Hæc ex Musæo Italico in Gallia constructo.*

Imago, inter Pontifices Bononiæ reposita, non exhibet Joannem VII. ut ex serie ipsa videri potest. Putant aliqui representari per eam Nicolaum IV. licet is Pontifex grandævus fuerit, in imagine verò frons exporrecta, & juvenilis forma appareat; cum alias, ut Naso ait, rugaque in antiqua fronte Senilis erit. Visuntur adhuc in Chronico Hermanni Schedel & passim in libris, primis, post inventam typographiam, temporibus, impressis, imagines, representantes in habitu Pontificio mulierem puerum in ulnis gestantem. Ast, ut tritum sic notum verumque est illud.

*Pictoribus atque Poëtis*

*Qualibet audendi semper fuit æqua potestas.*

His accersendus Joannes Baptista Spagnoli,

noli, Mantuanus, qui hanc Papissam Stylo poetico adumbravit. Dum in *Alphonso Lib. 3.* inferos describens, ludificando pergit in Enthusiastico,

*His pendebat adhuc sexum mentita virilem*

*Fœmina, cûi triplici Phrygiam diademate mitram*

*Extollebat apex, & Pontificalis adalter.*

Quis hæc legens non protinus magni supponet licentiam Apollinis: adeoque versificatorem potuisse subungere, æstimabit, illud Virgilianum 1. *Eclog.*

*Ludere quæ vellem, calamo permisit agresti.*

Ovum glutino compingit, qui rem gestam Poëtarum autoritate confirmat. Sunt illi Steriles veri, ut Persius loquitur; modo aliquid argutè vel acutè dicere videantur; plerumque verumne sit, an falsum, prope modum non curant. In *historia ad veritatem referuntur omnia: in poësi ad delectationem pleraque*, ait Cicero *de Leg.* Imo, juxta Fab. Quincil. Lib. 10. *Instit.* Poëta voluptatem fingendo non modo falsa; sed etiam incredibilis a se etantur.

Æquè futilla sunt, quæ in rei probationem Logopæi proferunt de sede stercoraria; in qua nec ipse Franciscus Junius aliquid statumini posuit. *Ista, inquit, sedes; si qua fuit, penes authores fides esto.* Quotquot unquam Romæ seu electioni: seu coronationi Pontificis interfuerunt, nec unicus quidem reperitur, qui ante Sæculum XV. sedis hujus in illum usum positæ meminit, qualem gnathones, in Apostolicam Sedem virulentæ, inflatis concrepant buccis. Ubi eadem sedes olim posita fuerit, non eadem horum est opinio; sed & mirè variant, quo

demum devenerit. An Avenionem etiam translata non est, qui observat. Quidam dicunt extare in porticu Lateranensis Palatii. Alii malunt in Capella S. Salvatoris reconditam. Nonnulli accipiunt pro suggestu S. Joannis, qui in torvis populi conspectu est elevatus. Reliqui in Conclavi electionis repositam contendunt. Scite admodum S. Augustinus in *Psalm. 135.* scribit. *Laborant homines loqui mendacium: nam veritatem tota facilitate loquerentur: ille enim laborat, qui fingit, quod dicit.* Ast hi omnes in vanum laborant. In sedem quidem albam marmoream olim Pontifices collocari solebant; non ea tamen erat perforata. Quia tamen eo tempore adsians Clerus versum illum *Psalm. 112.* cantare solebat. *Suscitans à terra inopem, & de Stercore elevans pauperem.* Hinc Stercorarea fuit dicta; ut vel ipse Iselin in citato Lexico admittit, nec proinde rem conficere; imo minus, quam reliqua confirmare asserit. Ritus tamen iste, ob invalescentem fabulam ac malignam interpretationem, post mortem Leonis X. omissus fuit. Cæterum sedes illa, cujus Cencius ad S. Mariam majorem Canonicus, & Cælestinus III. P. M. Sacellanus, primò meminit in Libro, qui, referente Baronio, etiamnum in Bibliotheca reservatur, in monasterio Lateranensi Basilicæ adjuncto; quæque cum duabus aliis porphiriticis perforatis, pertubente Mabillonio; atque in antiquis Romanorum terminis usui erant, ob materie pretium & suam vetustatem in novi Pontificis inauguratione forsitan olim adhibita fuit; quando non erant, qui malum dicerent de applicatione ejus. Nihil tamen omnino suis illi disteriis apud prudentes effecerunt, quantumcunque speciosis ridiculam fabellam moliti fuerint stipare mendaciis. Nam, ut bene S. Chrysostomus animadvertit, *Hom. 66. de livore. Quemadmodum qui putres ac ruinam minantes parietes albo tectorio lunt; non tamen eos possunt erigere: ita & mendacii*

*mendaces facileprehenduntur: & omnis error ita imbecillus est, quamvis extrinsecè callide fugatur.* Atque sic Propert. 2. 13.

*Populi confusa valeto fabula.*

Non quidem refert ad jugulum causâ, undenam ortum traxerit, Rectè siquidem idem Umber Poëta.

*Maxima de nihilo nascitur Historia.*

Adeoque & hanc ipsam è nihilo eductam fas sit credere. *Quemadmodum aranea ex se telas texunt: ita quidam ex se ipsis comminiscuntur fabulas & mendacia, cum nihil subsit veri.* ait Plutarchus in *Moralib.* Fortitan Nasutus quidam opponet. Sicut ex nihilo nihil fit, ita ex nihilo nihil dici. Instabit alius. Famam undecunque exortam non semper errare; quod prudenter Tacitus censuit in *Agricol. cap. 9.* sed ut plurimum, aliquid veri in se continere, teste Tullio *Lib. 2. Rhet.* Hinc famæ rerum standum esse, ubi certam derogat vetustas fidem, ajente Livio *Lib. 7. Hist. cap. 6.* quin & citatus Tacitus *Lib. 2. Hist. cap. 50.* de se restatur. *ut conquirere fabulosa, & fictis oblectare egentium animos nolim: tamen vulgaris traditisque demere fidem non audeo.* Verùm quicumque ex rumore rem in suas partes trahere nituntur, ineptiunt. Quam fallax sit ille; habetur ex Ovidio. *Lib. 12. Metam. fab. 1.* canente.

*Mixtaque cum veris passim commenta vagantur*

*Millia rumorum confusa verba volunt.*

Atque hinc cuiquam sanæ mentis homini considerandum relinquitur; quidnam credibilis sit. Fœminam in Pontificem Romanum electam, an rumorem, ad quem referandum Historia ac Chronologia invincibilia subministrant argumenta, esse falsum: præsertim quando, afferente Quintiliano *Declamat. 18. §. 8.* *Pessimum humanarum mentium est malum, quod semper avidius*

*nefanda finguntur; nec usquam se majus operæ pretium putant maligni facere sermones; quàm cum incredibilia quasi deprehensa narrantur.* Rumor est res sine teste, sine iudice, res ex incertis improbissima, maligna, fallax &c. Plerumque tamen res quædam aniam præbent maleferiatis fingendi; debetque concedi, nullam ferè dari fabulam, quæ non occasione veræ cujusdam Historiæ excogitata fuerit, licet speciosis multijugi momèti ea obvoluta sit plumis: ne quid ad rationem veri sit, quod aliquantulum consonat gestæ rei sicque à sermonum gestatoribus, juxta Senecæ phrasin, ex atomis sparsi rumoris subdole conflata fuit fabula, in cujus natales inquitur, de quibus varii variè sentiunt. Joannes Aventinus *loc. cit.* hujus sicut vocat, fabellæ occasionem dedisse autumat Joannem IX. quem X. vocant, cui, non minus quàm toti urbi dominabatur Theodora, nobile scortum: quæ & Bononiensibus, Ravennatensibus, denique Romanis hunc suum amasium vi ac dolo turpissimè imposuit. Onuphiius in *Not. ad Plat. figmenti* ortum deducit ad Joannem XII. qui in omnem libidinem effusus, totus fuit mulierosus. Bellarminus inde provenisse mavult, quod mulier in Sedem Constantinopolitanam irrepsit; idque Leo IX. in *Epist. ad Michael Patriarh.* huic exprobrat. Baronius narratiunculam natam ominatur à Joanne VIII. nimix facilitatis, quæ sexui propria, dum scilicet, posthabitis Concilii œcumenici decretis, Photium ejectum in Sedem Constantinopolitanam restituit: sic, ut non Papa, quomodo Adrianus, Nicolaus, &c. viri intrepidi: sed Papissa fuerit à dicacibus, contumelia loco, d'ctus; quasi non haberet animum ad Eunucho resistendum. Hæc Baronii conjectura reprobatur ab Antonio Pagi *tom. 3. Crit. Hist. Chron.* eamque pro commento habet, quod ante sæculum XIII. ignotum fuit. Leo Allatius ortum refert ad Theodoram Pseudo-Prophetissam, quæ

quæ tempore Leonis IV. in Synodo Germaniæ damnata fuit. Sunt insuper aliqui, qui tradunt, quod Benedictus III. ante Joannes appellatus, cum in Pontificatu apprimè pius, pronusque ad lachrymas esset, mulier plorans, apud perditos curiæ suæ alumnos cognominatus fuerit: indeque divulgatum, mulierem sedere in throno Romano; comfoimiter asserto Platónico *de republ. dial. 3. Lachryma à claris viris auferenda sunt; mulieribus autem tribuenda: neque his præstantibus, & ex viris his, qui viles sunt, ut vereantur simili facere, hi, quos ad regionis custodiam nos promovere asserimus.* Quod si fides habenda Sigeberto; fuit tempore Joannis VIII. mulier apud Moguntiam, quæ Papissa nuncupabatur; eo quod ei adhererent plurimi de Clero. Hinc multi arbitrabantur, quod de Sede Romana illud promulgatum fuerit.

Hæc ut solummodo sunt citatorum Authorum placita; non toto fallitur iudicio, qui censet, monstrum tiam gestans ex venenigero animo, velut equo Trajano prodisse, quod per ora volans, ignorantia admisit, credulitas suscepit, simplicitas fovit, pervicax partium studium defendit. Interim mirari subit quas machinationes capitones, ut est apud Plautum, pariter & cilones, prioris ævi, atque imprimis Fridericus Spanhymus adhibuerint, ut ex recentiorum chartulis; neglectis tot in contrarium obstantibus, rudi plebeculæ, aliisvè paulò eruditioribus persuaderent; mulierem sese erexisse in caput Ecclesiæ, quam inibi tacere jubet Paulus Apostolus. Hos cognoscimus ex illo, quod Plutarchus animadvertit scribens *de Herod. malog. Ingenii in historia scribentis parum æqui signum est, cum duo aut plures una de re sermones feruntur, detorsor,*

*amplecti.* Nullus unquam Poëtarum in una eademque fabella tot finxit strophas, commentatus fuit affanias: non Protheus tot diversas induit aliquando facies, quor hac in re cernuntur figmenta. Cerebrosi illi mutant quadrata rotundis, quacunque sese vertunt; atque ipsam fallitatem fallaci superlito pigmento, veritatis colore afficere satagunt: sed quantumcumque operis impendant; tenentur; atque, ut ait Aristides, in eadem anfas veniunt. *Veritas enim* (pericopa est Polybii Histor. Lib. 3.) *licet ab omnibus impugnetur, nonnunquam & omnis generis suadeat unâ cum mendacio ad veritatem armentur; nescio quomodo ipsa per se animis mortalium ulabatur, & aliquando vires suas confestim exerat.* Veritatis proprium est mendacium acriter confutare. Hanc obstinati post tot invicta argumenta, & probationes clarissimas agnoscere voluissent; inani opera super sedissent. Qui prioribus ab hinc sæculis rem quasi gestam crediderunt aut tradiderunt, id eorum simplicitati, aut olcitantia, simplicitativè attribuendum, dum minimè solliciti, ut in ipso fonte reperirent veritatem narrationis, quæ ab incerto Authore, seu impostore, post aliquot sæculorum ab obitu Leonis IV. nullo fundamento divulgata sensim cœpit in quorundam animis agere radices, ac si certissima esset historia

*Prudent; in Symac,*

*Sicque fabula crescit  
Ex atavis quondam male  
cœpta; deinde secutis  
Tradita temporibus, suisque  
nepotibus aucta.*

CON-